Angliæ regnum amiſit, & profugus ad Jacobum tertium Scothorum regem pervenit, ut qui modo duorum populorum florentiſſimorum Rex fuerat, aliena miſericordia vitam ſuſtinere miſerè cogeretur. *H. Boeth. l.7.*

Cùm Aquitanus, Novergiæ rex, Olao filio impuberi teſtamento matrem Margaritam tutricem reliquiſſet, & ante pubertatem filio decedente, Margaritæ ipſum etiam regnum ceſſiſſet, regni ſucceſſorem Henricum Pomeraniæ ducem vicinum conſtituit. Is cùm in Norvegia, Svecia, Daniaque annos quinque, & quinquaginta regnaſſet, Chriſtophoro Bavariæ duce regno pulſus eſt, ſola ei Gothica inſula conceſſa. Mortuo Chriſtophoro, cui Carolus ſucceſſit, intra breve tempus ipſa quoque inſula, ubi exulare magis quàm regnare dici poterat, Henrico adempta eſt. Itaque jam decrepitus, in Pomeraniam rediit. Neque verò Carolo fortuna certior fuit: nam cùm adverſus Deum, hominesque impiè ſe gereret, Joannis Epiſcopi opera concitatis ad arma populis, ipſe in exilium pulſus in parva fluminis Viſtulæ inſula diem ſuum miſerè clauſit. *Fulg. l.6. cap.11.*

Adolphum Naſſavienſem, aſtu ad imperium evectum, ob ſcelera, & ignaviam principes imperio dejecere. Tota Germania bello æſtuabat. Præterea Gerlacus Moguntinus Archipræſul ejus conſanguineus, cujus ſolius opera Romanorum rex priùs fuerat creatus, inutilem imperio palàm aſſerebat. Principes imperii neglexit, indignos extulit, publicè adulteria patravit: virgines, moniales, viduas vi conſtupravit: fidem & literis, & ſigillo roboratam violavit, & id genus multa ſcelera admiſit. Itaque principes Moguntiæ, abrogato Adolpho imperio, Albertum Auſtriæ ducem elegerunt, fidelitatiſque juramenta præſtiterunt. In agro Spirenſi, qui vulgò Haſenpfuel cognominatus, ſex horis acriter pugnatum. Tandem Adolphus, qui cum ſuo exercitu adverſos Solis habuit radios, equo eſt dejectus. Sed cùm reſtitueretur equo, caſu Albertus ſupervenit: à quo circa oculum enſe trajectus, in collo lethale ſuſcepit vulnus: cùmque ſibi galeam capitis auferri juſſiſſet, incautus hoſtibus expoſitus interficitur, quia ſine ordine in aciem deſcenderat. *Cuſpin.*

Genuenſibus, & Venetis de imperio certantibus, Græci proceres de jugo Latinorum excutiendo ſoliciti: Michaelem Palæologum advocant. Balduinus Auguſtus, Juſtinianulque Patriarcha claſſem conſcendunt, ut maris imperium ſpem unicam retinerent. Cives liberi Latinorum metu, portis patefactis Palæologum mœnibus noctu recipere, quo ex die capta à Veneto, Francoque de Græcis fuerat quinto, & quinquageſimo. Auguſtus, patriarchaque, deploratis rebus, Græcia deceſſere. *Æmil. l.7.*

Venceslaus, Ignavus cognomine, Caroli IV. F. rex Romanorum muneribus creatus, vino & veneri indulſit, regni nulla cura habita. Captus à regni Baronibus, per Joannem ducem Luſatiæ fratrem liberatus, nihilo melior redditus: à fratre Sigiſmundo iterùm captus, & duci Auſtriæ traditus, vinculis elapſus, regnoque recuperato, ab Electoribus tandem imperio deturbatus eſt, anno Salutis 1400. Robertus Bavariæ dux Cæſar dictus. *Æmil. l.10. & Cuſpinianus.*

Sigiſmundus Caroli IV. Imp. F. à Ludovico rege Ungarorum, & Polonorum, ſocero ſuo, rex Poloniæ dictus, regno excidit, quod Demaratum à præfectura majoris Poloniæ, ſic jubentibus Polonis proceribus removere noluerit. Itaque Heduigin Mariæ ſororem reginam ſalutarunt, eamque de procerum conſilio Jagelloni duci Lituaniæ deſponderunt. *Cromerus l.15.*

Alexander V. Pontifex Ladislaum regem Neapolitanum potentiſſimum, qui ditionem Eccleſiæ Pontificibus abſentibus diù, multumque vexaverat, oppidaque aliquot vi occupaverat, in concilio Piſano, approbantibus, qui tum aderant, regno privavit, juſque illud Ludovico Andegaviæ duci competere declaravit: *Platina.*

Jacobus è Narbonenſi Gallia, regia ſtirpe ortus, & ab Joanna Neapol. regina, Ladislai ſorore, ea conditione, ut regio titulo abſtinens, Tarentinus tantùm princeps vocaretur, in matrimonium acceptus: ea potentia abuſus, reginam uxorem in captivæ morem Gallorum cuſtodia ſepſit, infauſtoque Julii Cæſaris Capuani, & Cechloni Petuſini ſtudio rex appellatus, vix undecim menſibus regnavit. Nobiliſſimorum enim civium conſpiratione in poteſtatem reginæ redactus, demùm impetrante Martino V. Pontifice, cùm liberiore cuſtodia ſervaretur, navigio repentè conſcenſo Tarentum profugit, ſed eo fortunæ eventu, ut inde oppugnatus à femina, Maria Baucia Uladislai regis uxore, fœdiſſimè pelleretur. Senſit & demùm vel Italia pulſus infeſtos deos, rabidiſſimis ventis in Cephaleniam inſulam raptus, & longo tandem, varioque errore delatus in Galliam. Deſperatis itaque rebus, ut ignominiam, & calamitatem religionis voto contegeret, ſacrati habitus cucullum ſumpſit: atque ita vir ſævitia, & faſtu intolerandus, inter ſacerdotes in obſcuro vitam finiyit. *Jovius in vita Magni Sfortiæ.*

Fridericus Aragonius anno 1501. à Ludovico XII. Galliæ, & Ferdinando Hiſpaniæ regibus regno Neapolitano exutus, Galliæ regis fidei ſeſe commiſit, ut Andiovinorum dux eſſet, & xxx. aureorum millia quotannis acciperet. *Guicciard. lib. 6.*

Bajazethes II. Turcarum tyrannus, cùm natura pacis quàm belli eſſet ſtudioſior, filiis inteſtinis ſeditionibus occupatis, à Janizariis ſuis (in quibus omnis ejus ſpes ſita erat) imperio deturbatus, vigeſima tertia Junii, anno Salutis 1512. ingreſſus religionem, paulò poſt veneno à filio juniore dato, cùm uno & triginta annis imperio præfuiſſet, mortuus eſt. *Cuſpinianus, & Surius in Commentario.*

Ducatu, Principatu.

Cùm apud Heduos ſingularis magiſtratus antiquitùs crearetur, regiamque poteſtatem quis non niſi annum obtineret, accidit, ut duo magiſtratum gerere vellent, legibuſque ſe uterque creatum diceret. Alter Convictolitanes, florens & illuſtris adoleſcens: alter Cotus, antiquiſſima familia natus, ſummæ potentiæ, & magnæ cognationis, cujus frater proximo anno eundem magiſtratum geſſerat. Ob id diſſidium cùm civitas omnis eſſet in armis, Julius Cæſar eò profectus, cùm paucis clàm convocatis didiciſſet, alio loco, alioque tempore, atque oportuerit, fratrem à fratre renunciatum eſſe: & lex duos ex una familia vivo utroque non ſolùm magiſtratus creari vetaret, ſed etiam in ſenatu eſſe prohiberet: Totum imperium deponere coegit: Convictolitanem, qui per ſacerdotes more civitatis creatus eſſet, poteſtatem obtinere juſſit. *Erodianus ex Cæſare l.7. Com.*

Fridericus primus Imp. Henricum Leonem Saxoniæ ducem potentiſſ. poſt multam principum querimoniam evocatum, & contemnentem imperialia juſſa, pro inſigni contumacia privavit honore ducali, & aliis principibus attribuit ejus dignitates. Archiepiſcopus Colonienſis ducatum Vveſtphaliæ, quæ eſt vetus Saxonia, ſibi deſumpſit, & retinet in hodiernum. Bernardus de Anholt, ducatum cum titulo Saxoniæ ſuſcepit Imperiali munere, & tenent uſque hodie poſteri ejus, inferiorem ad Albim Saxoniam: ſuperiorem habent Miſnenſes. Neque ejus filii ad ducalem honorem unquam redierunt, ſed Vilhelmus Brunſuicenſem ducatum tenuit: Henricus ducta comitis Palatini filia, Palatinum, etſi Otho filius rex Romanorum electus eſt. *Crantz. lib. 7. Metr. c.20. & 12.*

Sigiſmundus Imperator Ericum, Venceslai primi filium, ducem Saxoniæ in Levvemburg, & VVittenberg, ob rebellionem, ac inobedientiam privavit electoratu, eumque Marchioni Miſnenſi Friderico contulit: cujus proſapia etiam hodie hoc jure utitur. *Cuſpinian.*

Franciſcus Foſcarus dux Venetorum, qui annos xxv. ſumma cum laude civitatem rexerat, Philippo Mediolanenſium duci Brixiam, Bergomumque ademerat, copias ejus plurибus in locis fuderat, Franciſcum Carmaniolam clarum ducem copiarum de proditione ſuſpectum ſecuri percuſſerat, Marſilium Carrarium, cujus majores diù Patavium per tyrannidem tenuiſſent, dum paternam hæreditatem vindicare conatur, interceptum necaverat, pacem cum Turcis non tam honeſtam quàm neceſſariam fecerat, Imperiumque Venetum terra marique ampliaverat, gubernationi tandem cedere compulſus eſt, tanquam præ ſenio reipub. videretur inutilis. Ille è publico palatio in privatam domum ſe recipiens cùm principatum ſuis civibus reddidiſſet, ægram quoque confeſtim animam naturæ reſtituit. Cujus caſum tanquam prævidiſſet Baptiſta Blaſius Cremonenſis aſtronomus, pluribus ante menſibus prædixerat. Erat autem, cùm moreretur, ferè nonagenarius, corporis majeſtate decorus, memor omnium, quæ poſt infantiam, aut vidiſſet, aut audiviſſet, facundia copioſus, & ingenio prompto, ac dexterrimo, & qui moderari frena ſenatus optimè noſſet. *Sab. l.6. En.10. & l.8. Dec.3.*

Piſani, mortuo Henrico VII. Imper. amiciſſ. cùm Florentinorumque, Lucenſiumque odia timerent, Hugutionem Fagiolanum quaſi dominum accepere. Nec multo poſt etiam Lucenſes. Quibus cùm ann. Sal. 1318. præeſſet Nerius Fagiolani filius cum præſidio equitum, Caſtrutium Caſtracanem conjuratorum caput inter Lucenſes propter prædam in Lucenſibus factam, conjecit in carcerem, atque ad ſupplicium educere parabat. Sed ſubitò tumultus exortus eſt. Ad quem compeſcendum cùm Fagiolanus Piſa egreſſus pergeret, obvium filium habuit, qui Luca pulſus, ad patrem confugiebat. Quo narrante Lucenſium rebellionem, nuncii à Piſa venientes, rebellaſſe Piſanos referunt, & clauſis portis in libertatem ſe erexiſſe. Fagiolanus igitur eadem die duarum urbium dominio privatus, ad Malaſpinas Marchiones amicos confugiens, per Lucenſem regionem longo circuitu ad ſua Romandiolæ oppida rediens conſenuit, filioſque moriens, & nepotes reliquit. Caſtrutius è carcere eductus, tyrannidem apud Lucenſes invaſit. *Blond. l.9. Decad.2. Platina in Joanne 23. & Sabellicus l.8. Enn.9.*

Ludovicus Sfortia Inſubrum dux, ad primum nuncium deſcenſus Ludovici XII. Gallorum regis in Italiam, ſive populorum ſtudiis diffiſus, ſive ſubita quadam (quia hinc Gallis, inde Venetis urgentibus ſciret ſe imparem futurum) deſperatione, Aſcanio, & liberis cum magno auri pondere in Germaniam præmiſſis, & Mediolanenſem arcem valido firmavit præſidio, firmatam dedit tuendam Bernardino Curtio Ticinenſi: inde Mediolanenſes pro concione aſtatus, bono juſſit animo eſſe, affuturum ſe brevi ex Germania cum amicis regis auxiliis. Galli intereà Mediolano potiuntur, Veneti Cremona, & quicquid eſt circa Abduam. Aſſuit intereà ex compoſito Aſcanius Ludovici frater, ex Germania, litteris, & nunciis accerſitus. Hunc venientem Mediolanenſes in urbem magno totius civitatis favore induxerunt. Id ſtudium Ticinenſes, & Parmenſes ſecuti, Gallorum præſidia ſuis urbibus ejecerunt, & jam omnia ad defectionem ſpectabant, cùm Ludovicus triduo poſt Aſcanium magna omnium gratulatione Mediolanum revertitur. At ubi acie cum Gallis congreſſus, Novariam compulſus eſt, Suitenſibus cum hoſte pactis, ut incolumes inde abirent, veritus Ludovicus, ne Novariæ cum ſuis relictus, fame, aut alia vi ſubactus in hoſtium poteſtatem veniret, Suitanico habitu Germanis mixtus conatus eſt diſſimulata perſona in apertum evadere. Stabant Galli dextra, levaque armis inſtructi, per hos Suitenſes longo agmine taciti abibant. Hic ab hoſte agnitus, cùm jam multum Germani agminis proceſſiſſet, ex improviſo Galli in eum manum injiciunt. Captus eſt cum fidiſſimo uno ex familiaribus, qui illi ignoto habitu hærebat. Aſcanius à Venetis captus Gallis petentibus traditus eſt. Ambo in Gallia abducti. Et Sfortiani per hæc nobiliſſimo principatu exciderunt, anno milleſimo Salutis, atque unde quingenteſimo, qui quinquageſimus fuit ab eo, quo Franciſcus Sfortia, Ludovici pater, fuerat Mediolano potitus *Sab. l.9. Enn.10.*

Petrus Medices infami pactione Carolum octavum, Galliæ regem, contra Aragonios proficiſcentem, traditis arcibus Florentinæ Reip. ſibi conciliavit. Qua jactura ita offenſi ſunt Florentini, ut perduellionis reum in exilium cum Joanne cardinale, & Juliano fratribus abire coegerint, cùm per 60. annos Medicei Reip. præfuiſſent. *Guicciard. l.1.*

Julius ſecundus pontifex, Joannem Bentivolum, ab inveterata tyrannide, cœtuque audacium filiorum præpotentem, Bononia expulit, ope Gallorum adjutus, qui ad portas exercitum admoverant. Bentivolus ſeptuagenarius ſenex, animum deponens, cùm ferociam imminentis Pontificis magnopere timeret, ad caſtra Gallorum confugit, nullo in ſuprema rerum difficultate, aut virtutis, aut induſtriæ conatu edito: ſic ut poſteà apud Mediolanum in exilio perierit. Domus ejus incomparabilis ſtructuræ, quam media in urbe ædificarat, ut abominandi dominatus memoria tolleretur, concurſu populi à fundamentis everſa eſt. *Jovius.*

Præfectura claſſis.

Bello Peloponneſiaco, cùm peſtilentia ingens Athenas invaſiſſet, & populus in Periclem cauſam referret, qui plebem ruſticanam tempore æſtivo in anguſtis tectis urbis habitare coegiſſet, pro defendenda urbe, & claſſe inſtruenda Epidaurum fruſtra obſediſſet: imperium ei abrogarunt, mulctamque dixerunt, cujus ſummam, qui minimam, quindecim talenta: quinquaginta, qui maximam ſcribunt. Hoc judicio accuſatorem ſe profeſſus eſt, ut tradit Idomeneus, Cleon: ut Theophraſtus Simmias: Ponticus Heraclide Lacratidam refert *Plut. in Pericle.*

Cùm Antiochus claſſis præfectus, Alcibiade in Cariam ad conficienda ſtipendia profecto, temerè cum Lyſandro pugnans claſſem amiſiſſet: Athenienſes calumniatoribus aures præbentes, Alcibiadi imperium abrogarunt, alioſque legerunt prætores. Quos cum in Ægos flumine viciſſet Lyſander, Athenas demùm cepit, & xxx. tyrannos urbi impoſuit. *Plutarchus in Alcibiade.*

Conſulatu, Tribunatu.

Expulſo Tarquinio tyranno, conſul cum Bruto creatus eſt maritus Lucretiæ L. Tarquinius Collatinus. Brutus Collegam primæ, ac novæ illius poteſtatis, quem poterat, ſi hoc oſtendebatur, nomine tantùm privare, & patria privavit, & honore. *Aug. de Civ. Dei l.3. c.16.*

C. Octavius à tribunatu dejectus per Tiberium Gracchum, cum ei legem agrariam perferenti in opulentorum gratiam publicè aliquoties reſtitiſſet. *Plut. in Tiberio.*

Senatu.

Apud Rom. ſi quis ob flagitia ſenatu à cenſoribus motus eſſet, ſi denuò reciperetur, ad primos magiſtratuum gradus petendos, licèt eos ante geſſiſſet, cogebatur. Sic Corn. Lentulus Sura prætor erat, quando cum Catilina conjuravit, motus jampridem ſenatu, & tum demùm receptus, *Plut. in Cicer.*

Dum L. Lucullus in Ponto, & Armenia bellum geſſit, Romæ Cn. Lentulo, & L. Gellio conſulibus, quatuor, & ſexaginta Senatores, quot nunquam aliàs, uno tempore ſunt curia ſummotì. *Sab. l.4. Enn.6.*

Circa annum Sal. 1393. in Agrippina Colonia cives duplex habuere Concilium: arctum eorum, qui quotidiana civium negotia curarent: & latum, ad illos quoque pertinens, qui magnis reipublicæ negotiis adhiberentur. Erat ex latiore concilio vir primarius, quem legitimis cauſis proſcripſerat magiſtratus concilii ſtrictioris parendum fuit: ſed ille apud principes effecit, ut eorum opera reſtitueretur. Ulciſcendi ſtudio, concitata plebe, omnes de ſtricto concilio in vincula duci ſatagebat. At viri ſagaces minoris concilii, prævenientes inſidias cæterorum, latum concilium per eandem plebem fecere in vincula duci. Prudentes intereà quidam, quibus utraque molitio improbabatur, effecerunt, ut minus etiam concilium cuſtodiæ manciparetur. Utriſque diligenter cuſtoditis, populus utrumque concilium dignitate exuit: & novo delectu habito conſtituit ſenatum alium, ut in reliquum civitas non duplici, ſed unico concilio gubernarentur, magno Reip. bono. *Crantz. l.10. c.17. Sax.*

MAGISTRATUS, ET IMPERII ΧΡΗΣΙΣ, RESPECTU DIGNITATIS CONSIDERATÆ. PER SE. MAGISTRATUM QUI geſſere.

ECCLESIASTICUM. HUC

Sacerdotes Judæorum.

Melchiſedech, ſacerdos Dei, rex Chananæorum. Is urbem in Sion monte concludit, Salemque dixit, hoc eſt, ἀμωμόπολιν, Pacificam: in qua cùm regnaſſet annos 113. obiit, vir juſtus, & virgo. Genealogia verò ejus non explicatur, quod prorſus non eſt de Abrahami ſemine, ſed genere Chananæus, & ex deteſtabili ſatu oriundus. Quamobrem genealogiæ honore carèt. *Suidas.* Hic novum ſacrificii genus Deo panem, & vinum obtulit, & Abraham ex victoria redeunti obviàm proceſſit. Primus item typum Domini noſtri geſſit. Ejus enim genealogia ignoratur, ſicuti & Chriſti: ſine humano patre: ſecundùm divinitatem verò ineffabilis. *Volat. l.17. Anthrop.*

Eſdras, Sataiæ F. primarius ſacerdos Judæorum Babylone degentium. Is ſibi Xerxem regem ſapientia ſua ita conciliavit, ut ab eo libertatem Judæos, qui vellent in patriam reducendi, obtinuerit. Inſtituit is populum, qui ante etiam à Zorobabele reductus fuerat, in vera religione, & legis librum ipſis prælegit. 1. *Eſdræ 7. & Joſephus l.11. c.5.*

Matathias ſacerdos Judæus Modinenſis, cum quinque filiis fortiſſimis, Joanne Caddo, Simeone Thaſſi, Juda Machabæo, Eleazaro Abaran, & Jonathan Appho, Antiochi Epiphanis edictum, quo Judæos à patria religione vi abducere conabatur, contemnens, Judæum ad aram idoli accedentem cum Apelle, regio præfecto, occidit: in ſolitudinem relictis facultatibus cum ſuis confugit, manuque, & ſocietate Aſidæorum, collecta, hoſtes ex improviſo adortus cæcidit, pueros per vim circumcidit. Moriens filiis quinque præcepit, uti vestigia

veſtigia ſua ſecuti, legem Domini contra regem defenderent
A 1. *Machab.* 2. ☞ *Vide Locum de Machabæis*,

Sacerdotes Ethnicorum.

☞ *Apud ſacerdotes olim præſertim Ægyptios, occultioris pientiæ profeſſio extitit, multo otio abundantibus. Hinc factum, ut cùm quiſque deos ſuos, quorum miniſter erat, naturæ principes ſtatuere cupit, varia de diis finxerunt, fabuliſque omnia repleverint. Quorum cognitio Theologia olim dicebatur, cùm reverà Philoſophia eſſet naturalis aut ethica. Reſpectu igitur Eruditionis, Theologi quidam ſunt practici: reſpectu verò Dignitatis, bujus propriè ſunt loci.*

Jethro Madianitanus pontifex, ſeptem filias habuit, quas Moyſes contra injuriam paſtorum tutatus, unam ex eis Sephoram in conjugem accepit. *Exod.* 2.

Mattan Baal ſacerdos, Hieroſolymæ Joa rege electo, juſſu Jojadæ pontificis ad aram Saal interfectus eſt. 4. *Reg.* 11.

Coreſus ſacerdos Bacchi Calydonii, amore Calliſrhoes virginis æſtuans, cùm ea potiri non poſſet, Calydonios execratus eſt, ut multi in ſania, & furore perierint. Quo etiam morbo liberari nequiverunt, niſi ad aram Liberi, vel Coreſum
B vel Calliſrhoen, aut alium, qui ſe pro illa devoviſſet, immolarent. Cùm igitur puella cædi deſtinata, & victimæ ornatu ad aram deducta fuiſſet, Coreſus amore victus, ſeipſum pro illa occidit, *Pauſ. in Achaicis*.

Leodes enopis F. ſacerdos, inter procos Penelopeos magno crateri, è quo cyathizabant, ſemper aſſidebat, vel tanquam cuſtos, ne venena miſcerentur: vel certè, quo facilius, & promptiùs ſibi hauriret. Diſplicebant huic procorum mores, & intemperies: ſed quoniam comeſſationum cupiditate à recto ſe deduci ſinebat, ab Ulyſſe quoque, multis licet ſuam proteſtatus innocentiam, ſuit interfectus, tum quia ſæpe in procorum gratiam contra Ulyſſem ſacra feciſſet, tum quia ſpem haberet aliquam potiundæ Penelopes. *Homerus in Odyſſea*.

Ceteris ſacerdos Soſtratus *apud Corn. Tacitum*.

Nithras Iſidis ſacerdos apud Babylonios. *Alex. l.* 1. *c.* 8. *Item* Grammathas, *l.* 2. *c.* 8.

Sethon rex Ægyptiorum, poſt Amyrtæum, Vulcani ſacerdos. *Herod. in Euterpe*.

Veſtæ ſacerdotes, virgines Veſtales, Romæ à Numa ſtipendium de publico habuerunt, perpetuaque virginitate, aliiſque cæremoniis venerabiles redditæ ſunt. Carpento ve-
C hebantur, magiſtratuſque illis aſſurgebant, ac fortuito occurſu ſontem ſupplicio eximebant: ignem perpetuum ſervabant: qui ſi per incuriam extinctus eſſet, cuſtos flagro à pontifice maximo, cui ſuberant, cædebatur. Si qua inceſtus convicta eſſet, ante ora civium, mœſto ſilentio effe-rebatur, vivaque circa Collinam portam, in ſubterraneum ſpecum dimiſſa, terraque ſtatim ſuperinjecta, necabatur. *Polyd. l.* 4. *c. ult. de invent. Cælius l.* 15 *c.* 14. *A. L. & Sab. l.* 3. *Enn.* 2.

Tyrannus, Saturni ſacerdos Alexandiæ, cùm miris præſtigiis in Saturni templo omnes ferè nobiles matronas adulterio polluiſſet, ſub prætextu, quaſi Saturnus earum colloquio nocturno delectaretur: tandem deprehenſo dolo, perque tormenta convictus, meritas impietatis pœnas luit. *Euſebius l.* 11. *c.* 25. *hiſt. Eccl.*

Megabyzus ſacerdos Dianæ Epheſiæ, eunuchus, à cujus nomine cæteri dicti ſunt Megabyzi. *Plin. l.* 15.

Myxos Dianæ ſacerdos, immodicus ſui nominis præco, & oſtentator. Hinc & Myxos appellamus hujuſmodi homines
D ventoſos, qui plus æquo ſibi tribuunt. *Raviſius*.

Iphigenia, Dianæ ſacerdos Tauricæ, Agamemnonis, & Clytemneſtræ filia.

Comœtho Triclariæ Dianæ ſacerdos. *Pauſ. in Achaic.*

Camma ſacerdos Dianæ in Gallia, femina pudiciſſima, Eraſinorigi Galliæ tetrarchæ, qui, ut ea potiretur, maritum interfecerat, mulſum veneno mixtum propinavit. Et cùm eum quoque bibiſſe cerneret, magna voce exclamavit, Dianam adorans: Gratiam tibi habeo, veneranda Diana, quòd, mihi conceſſeris in tuo templo, pro marito mea cauſa interfecto ſupplicium exigere. Hiſque dictis confeſtim & ipſa mortem obiit, & ſponſus ſimul cum ea ad aram deæ vitæ reliquit. *Polyæn. l.* 8. *& Alex. l.* 2. *c.* 5.

Apollinis ſacerdos fuit Panthus, Othrii filius. *Virg.* 2. *Æneidos*. Item Anius rex. 3. *Æn.* Item Lycas, exſectus matre perempta. *Æneid. l.* 10.

Palladis ſacerdotes, Lyſimache, apud *Plinium l.* 4. Item Theano Θεανὼ apud Homerum. Butes, cujus familia longo tempore ſacerdotium tenuit, Eteobutades dicti. *Alex. ab Alex.* E
l. 2. *c.* 8.

Cybeles ſacerdos, Choreus. *Virg.* 11. *Æn.* Item Meliſſa prima ejus ſacerdos, Meliſſei Cretenſium regis filia, qui primùm diis rem obiiſſe divinam, ac ritus novos ſacrorumque pompas introduxiſſe dicitur. Didymus in libris enarrationis Pindaricæ. Et ab hac Meliſſa omnes hujus deæ ſacerdotes Meliſſæ dictæ ſunt. *Lactan. l.* 1. *Inſt. Cæl. l.* 12. *c.* 1. *& l.* 22. *c.* 3. *A. L.*

Atys phrygius puer, cum à Rhea amaretur, perpetuam virginitatem ſe ſervaturum pollicitus. At cùm eam non ſevaſſet, furore percitus ſeipſum eviravit, atque ſacerdos deæ, cui fidem violaverat, factus eſt. Inde manſit ea conſuetudo, ut à Gallis vocatis ſacerdotibus muliebri habitu indutis Rhea coleretur, ut teſtatur *Lucinus in dea Syria*. Huic deæ pinus arbor ſacrata fuit, quòd in eam arborem denique Atym ab illa amatum, mutatum fuiſſe credant, *ut teſtatur. Ovid. l.* 12. *Metamorph. Natalis Comes Mythol. l.* 9. *c.* 5.

Batabaces Matris magnæ ſacerdos, victoriam bello Cimbrico populo Rom. prædixit. *Plut. in Mario*.

Aſpaſia Cyri Perſarum regis pellex, ſacerdos factæ Dianæ Anaitidis. *Plut. in Artaxerxe*.

Sacerdos Paludianorum ethnicus converſus ad Chriſtum per Macarium Ægyptium, & Alexandrinum, ob veram reli- F
gionem à Valente Imp. exilio multatus. Nec is ſolùm, ſed & omnes Plaudii incolæ. *Ruffin. l.* 2. *c.* 4. *Socrates l.* 4. *c.* 4. *Theodoret. l.* 4. *c.* 21. *Sozom. l.* 6. *c.* 20.

Conſi ſacerdos Anglus ethnica templa diruit:

Pontifex primus à Numa Romæ creatus eſt Martius, Marci filius, vir patricius, cujus poteſtati omnia ſacrorum jura ſubjecit. Quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fieri oporteret, formula edocuit. Si pontifex à refectione pontis eſt dictus, ut Varroni, & aliis placuiſſe video, quia pons tum nullus utique fuit, qui refici potuerit (conſtat enim poſt Numæ tempora ab Anco Martio pontem primò Tiberi impoſitum) diverſa appellatione ab initio vocatum credere par eſt. Nec me præterit, fuiſſe, qui à vetuſtiſſima ſacrorum ratione, quæ ad pontes fierent, id nomen ab initio factum crederent: quæ opinio pari ratione refellitur. *Sab. l.* 3. *En.* 2.

Alexianus Mammeæ F. Baſſianus verò Sœnidis, ſororum (quarum marertera Julia Severo primùm, inde Caracallæ privigno nupſerat) ſolis apud Phœnices ſacerdotes, quem Heliogabalum vocabant, Milites Baſſianum, velut ex Caracallape ſtuprum natum, propter formæ elegantiam, occiſo Macrino
Imperatorem fecere. *Sab. l.* 6. *En.* 7. G

Legati ſacri.

Cùm diuturna ſiccitate Græcia laboraret, miſſi Delphos ſunt, qui ex oraculo calamitatis cauſam ad remedium cognoſcerent. Ibi reſpondit Pythia, Jovem placandum, utendum verò, modò ut velit obſequi, Æaco deprecatore. Ex eo itaque reſponſo miſſi ex ſingulis urbibus ad Æacum, ut deprecationem ſuſciperet, oratum. Ille Panellenio Jovi ſacris ritè peractis, & votis nuncupatis, imbrium Græciam compotem fecit. Ad rei memoriam legati Æginetæ ſtatuas poſuerunt. *Pauſ. in Corinth.*

Bœotorum terra cùm unum, & alterum annum nullis imbribus irrigaretur, à ſingulis civitatibus Delphos miſſi ſunt, qui opem implorarent. Apollo imploravit, ut Lebadeam venientes à Trophonio mali auxilium quærerent. Cùm oraculum reperire non poſſent, Saon quidam Acræphinenſis, collegarum natu maximus, cùm apum examen conſpexiſſet, quocumque illæ divertiſſent, ſequi ſtatuit. Ubi igitur eas ad ſpecum quandam advolantes vidit, & ipſe ſubiens oraculum, quod quærebant, illud eſſe intellexit. Saonem hunc cùm ea, H
quorum cauſa miſſus fuerat, tum ſacrorum omnem ritum, & quæ inter conſulendum fieri fas eſt, edoctum à Trophonio memorant. *Pauſ. in Bœoticis*.

An. 1053. Eccleſia Conſtantinopolitana rurſus à Romana defecit, propter principatum, quam ipſa ſibi aſcivit, Conſtantino Imperatore Michaelem patriarcham primariis honoribus onerante. Quam rem ubi Leo IX. Pp. audivit, legatos tres ad eam comprimendam decrevit, Fridericum Archidiaconum cancellarium ſuum, Hubertum Epiſcopum Sylvæ candidæ, & Petrum Archiepiſcopum Amalphitanum. Illic honoriſicè ab Imperatore ſuſcepti ſunt. Inde ut hæreſes eorum cognoſcerent, concilium indixerunt, atque eò Imperatorem, & patriarcham vocarunt. Cùm autem illi ſe venturos principatum Eccleſiæ ſibi vindicantes negarent, Fridericus urbe egreſſus ſandalia ſua more Apoſtolorum ſuper eos excuſſit. Quo facto tantum terroris omnibus Conſtantinopolitanis incuſſit, ut Imperator, & patriarcha cum clero, & populo poſtridie
ſacco

ſacco, & cinere obvoluti ad eum perrexerint, & Apoſto-
A licam auctoritatem in eo ad terram prolapſi adorarint. Inde hæreſibus eorum, & Michaele patriarcha, & Leone Epiſcopo Acridano damnatis in Italiam redierunt. *Sig. l.* 8. *Reg. Ital.* E

POLITICUM.

Reges, Imperatores.

☞ *Catalogum variorum Regum ex Loco de Politia pete. Exarchi.*

Exactis Gothis, expulſor ipſe, victorque Narſes à Juſtiniano Imperatore ſummæ rerum præpoſitus, titulo Ducis Italiæ ſumpto, Italiam per decem, & ſeptem provinciarum præfectos pro ſuo arbitrio adminiſtravit.

Longinus Patricius ſucceſſor Narſetis à Juſtino ſubmiſſus, quòd ſumma cum poteſtate, atque imperio venerat, novam pro arbitrio Italiæ adminiſtrationem induxit. Primùm Ravennæ, non Romæ, præfecturæ ſedem poſuit, nec ſe Ducem, ſed Exarchum Italiæ, quemadmodum & Africæ Exarchus erat, vocavit, provinciarum Conſularibus, Correctoribus, Præſidibuſque ſublatis, ſingulis civitatibus ſingulos Duces impoſuit, ac varios ei ad reddenda jura Judices aſſignavit. an. 567.
B *Sigonius de regno Italiæ*.

Præfecti.

Cataoniæ urbs eſt, & Bellonæ fanum, quod illi Comana vocant, maximam numine afflatorum, & ſacrorum fervorum multitudinem habens. Eam Cataones incolunt, qui quanquam regi ſubditi ſint, parent tamen Sacerdoti, qui ſani, & ſacrorum fervorum magna ex parte dominus eſt, qui tempore, quo Strabo peregrinatus eſt, ſupra ſex millia erant, viri ſimul, ac mulieres. Fano adjacet regio non parva, cujus fructum, ac proventum ſacerdos accipit. In honore ſecundus eſt in Cappadocia poſt regem. Reges, ac ſacerdotes frequentius ex eadem eſſe progenie ſolebant. Hoc ſacrorum genus Oreſtes cum ſorore Iphigenia è Scythia Taurica videtur attuliſſe, quæ Dianæ Tautopolæ erant. *Strabo l.* 12.

Conſtantinus tertius Scotorum rex ſtatuit, ut is, qui Scotiæ regno defuncto rege deinceps præeſſet, Cumbriæ præfectura ornaretur. Proinde primus ipſe Malcolmum Donaldi regis F. Cumbria donavit. *H. Boeth. l.* 11.

Dictatores.

Concitaverat Phaliſcorum, & Tarquinienſium clades omne Hetruſcum nomen in Romanos, atque duobus populis du-
C cibus, ad Salinas uſque prædabundus hoſtis proceſſerat. Adverſus hunc terrorem Martius Rutilius primus è plebe Dictator eſt dictus. Qui C. Plautium, & ipſum Plebeii ſanguinis, magiſtrum equitum dixit. Ferre id iniquo animo Patres, indignantes non conſulatum modò, ſed dictaturam etiam in promiſcuo eſſe: nihil itaque illi decernere, ut irrita dictatura flueret. Ea injuria populus inſtructus, major, quàm ullo anteà ſtudio omnia ad bellum neceſſaria detulit. Parato itaque exercitu, Rutilius in hoſtem contendit, exercituque ratibus Tibertim trajecto popularibus multifariam oppreſſis, ex improviſo caſtra hoſtium adortus, vi cepit. Octo millia hoſtium capta Romam duxit, ac ſine Patrum auctoritate, populi juſſu, triumphavit. Atque ita contigit, ut Rutilius, qui primus è plebe eſt dictator creatus, idem primus invitis patribus legitimum de hoſte triumphum egerit. Fuitque annus ille quadringenteſimus ab Urbe condita, poſt urbem à Gallis receptam quintus, *ut Livius ſcribit*, & quadrageſimus. *Sab. l.* 3. *En.* 4.

Anno Urbis 252. Poſthumo Cominio Arunco, & T. Lartio Flavo Coſſ. T. Lartius Flavus primus dictator dictus,
D Sp. Caſſius magiſter equitum, contra motus Tarquiniorum. *Euſeb.*

A Poſthumius Albus Regillenſis, ad lacum Regulum Latinos vicit, Anno Urbis 257. qui Tarquinio reducere tentabant.

Anno Urbis 259. cum plebs in Sacrum montem feceſſiſſet, M. Val. dictator dictus.

L. Quinctius Cincinnatus, dictator, & L. Tarquinius Flaccus magiſter equitum, Æquos vicerunt, Urbis anno 295. Ille idem anno 314. dictator iterùm creatus, cùm Sp. Melius largitione frumentaria regnum affectaret. C. Servilius Hala magiſter equitum Melium ad dictatorem venire recuſantem interfecit.

Belli Hetruſci cura omni diſcuſſa, Emilius Mamercus, ne non aliquid in ſua dictatura egiſſe videretur, cenſuram, quæ ab initio quinquennalis fuit, in annum, & ſemeſtre ſpacium lege ad populum lata contraxit. Et ut ſciatis, inquit, Quirites, quàm mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico. Cenſores cum in ordinem redactum, quia magiſtrum Pop. Rom. minuere eſſet auſus, tribu ſubmoverunt, octuplicatoque cenſu fecerunt ærarium. Tulit Lamercus eam ignominiam E
civili animo, cauſam potius quàm rem intuitus. Contra tanta populi in Cenſores exarſit ira, ut nullius, præterquàm ipſius Mamerci auctoritas, ne multitudinis incurſu violarentur, eos protexerit. *Sab. l.* 5. *En.* 3.

Q. Servilius Priſcus dictator, Poſthumus Ebutius magiſter equitum, anno 317. Captæ Fidenæ. Dictator iterùm anno 335. Æquos vicit, & Luicanos, capto Lavico oppido.

M. Æmilius Mamertinus dictator 1. anno 316. iterùm anno 319. tertiò anno 327. & A. Corn. Coſſus magiſter equitum, de Vejentidus triumpharunt.

Pub. Corn. Rutilius dictator anno 345. de Volſcis, & Æquis triumphavit.

M. Fur. Camillus dictator anno 356. Veiis captis triumphavit. Anno rurſus 363. iterùm dictator de Gallis triumphavit. Anno 365. dictator III. de Volſcis triumphavit. Anno 385. dictator IV. Luc. Æmilius magiſter equitum, cùm lex de conſulatu altero plebi communicando à Tribunis ferretur Dictator V. anno 386. in agro Albano Gallos vicit: Tertio poſt
anno peſte obiit. F

L. Furius Camillus dictator bello Arunco creatus, anno 408. Arunci victi: Sora Volſcorum urbs capta.

L. Papyrius Curſor dictator ſine Coſſ. anno 429. Cæſis Samnitum 20000. triumphavit.

Q. Fab. Max. Rullianus dictator, Q. Aurelius Cerretnus magiſter equitum, Anno 444. Satricula capta, Samnites cæſi.

Anno Urbis 467. Hortenſius dictator, ſeceſſionis populi in Janiculum reducendæ cauſa legem tulit, ut plebiſcita omnem populum Quiritium tenerent, & pro regibus obſervarentur, *Livius l.* 11.

Vaſtante Italiam Hannibale, & Romanis ad Trebiam, & Thraſimenum ingenti clade affectis, civitas ad unicum Reip. remedium confugit, & quia conſul aberat, dictatorem, quod nunquam anteà fieri contigit, Q. Fabium Maximum populus creavit, niſi prodictator ille potius fuit: quod & Livius ſuſpicari mihi videtur. Is magiſtrum equitum M. Munitium Rufum dixit. *Sab. l.* 2. *Enn.* 5.

C. Corn. Sylla, mortuo Mario, & Marianis victis, ipſe ſemetipſum dictatorem in centum annos dixit.

Romani à bellis inteſtinis arbitrantes dominatuum reſpira- G
tionem. C. Jul. Cæſarem dictatorem perpetuum dixere. Erat verè ea tyrannis, cùm ad poteſtatem abſolutam acceſſiſſet perpetuitas. *Plut. in Cæſare*.

Florentini Petrum Soderinum, uti Patrem patriæ, antiquato trimeſtri magiſtratu, adminiſtrandæ Reip. dictatorem perpetuum creavere, quòd illius opera Ludovicus XII. Gallorum rex contra Alexandrum VI. Pap. Mediceos reducere conantis Reipubl. conciliatus fuiſſet. *Jovius in Leone l.* 1.

Conſules.

☞ *Conſules Romanos in loco de magiſtratu tradimus, ut Romana Reipubl. ſucceſſio ſervetur.*

Legati cum imperio ad Remp. gerendam, aut bella conficienda, loco Conſulum, aut Principum foras miſſi, domive relicti.

Ageſilao regi Spartano in Aſiam cum exercitu profecto legatus additus Lyſander. *Plut.*

A. Gabinius legatus, rebus adverſus Lucanos proſperè geſtis, multis oppidis expugnatis, in obſidione caſtrorum hoſtilium cecidit. *Livius l.* 76. H

Q. Fab. Maximus, Quinto filio conſuli, legatus adverſus Samientes, ad Sueſſulam obviam prodiit, *Alex. l.* 6. *c.* 3.

T. Q. Flaminius legatus in Græciam cum Mannio Accilio Coſ. contra Antiochum, & Ætolos, ad confirmandas in fide Romanorum ſocias civitates miſſus. *Plut. in ejus vita*.

C. Claudius, L. Cornelii conſulis adverſus Bojos pugnantis legatus, cùm literas de negligentia conſulis Romam ſcripſiſſet, effecit, ut triumphus Cornelio denegaretur. *l.* 6. *c.* 3.

P. Scipio Africanus, L. Scipioni fratri adverſus Antiochum fuit legatus: cujus auctoritate factum eſt, ut victo Antiocho, de Antiocho, & omni Aſia triumpharet. *Idem*.

C. Lælius legatus in Hiſpaniam ex Africa profectus, in expugnatione Carthaginis novæ propoſitus claſſi fuit, ut Livius teſtatur. Idem miſſus à Scipione ad Syphacem legatus pro amicitia, tribunos peritiſſimos rei militaris ſpecie fervorum ſecum duxit, explorandæ regionis gratia, ut ait Frontinus,

nus: in qua legatione Syphacem populo Romano amicum
A reddidit. *Volat. l.16. Urban. Com.*

Fl. Fimbria civis ſæviſſimus, fatelles Cinnæ, Valerio Flacco conſuli legatus in Aſiam profectus, per ſimultatem dimiſſus corrupto exercitu, ducem interficiendum curavit. *Volaterranus l.16. Anthrop.*

C. Marius, Metelli conſulis legatus, contra Jugurtham. *Alex. l.6. c.3.*

Ser. Galba, Galbæ oratoris nepos, C. Jul. Cæſaris in Gallia legatus, eidemque infenſiſſimus. *Volat. l.16. Anthrop.*

Labienus, Cæſaris in Gallia legatus, magnas ſub eo res geſſerat. Demùm bello civili transfugit ad Pompejum. Ei Cæſar ejus bona, quæ habebat in poteſtate, remiſit, *Lucanus.*

—— *Dux fortis in armis.*
Cæſareis Labienus erat, nunc transfuga vilis,

Aur. Scaurus legatus à Cimbris, ſuſo exercitu, captus eſt: & cùm ad concilium ab his evocatus, eos deterreret, ne Alpes tranſirent, Italiam petituri, Romanos vinci minimè poſſe aſſerens, à Belo rege feroci juvene occiſus eſt, *Livius l.67.*

B Ventidius Marc. Antonii III. viri legatus, de Parthis, novo exemplo, ſolus, & ſine conſule triumphavit. *Alex. ad Alex. l.6. c.3.*

Perennius legatus cum Commodo ad exercitum in Britanniam miſſus, ſeditiones multas compreſſit. *Volaterranus l. 23. Anthrop.*

Ægidius Carilla ab Innocentio VI. Pont. max. Avenione habitante legatus ad res Italiæ componendas miſſus, Hiſpanus genere, è gente Carilla, in rebus agendis prudentiſſimus, ſtatum Eccleſiæ variis tumultibus exagitatum, abſente Pontifice pacavit. Iterùm ab Urbano IV. in Italiam miſſus, Barnabam Vicecomitem, ſtatum Pontificis turbantem, compreſſit. Prætereà quoque ab Urbano V. Lemovicenſe legatus in Italiam miſſus, *Volat. l.22. Anthrop.*

Julianus Cæſarinus Cardinalis, legatus, cum Uladislao Pannoniæ rege adverſus Turcas ab Eugenio IV. Pont. max. miſſus, & cæſus eſt. *Volat. l.22. Anthrop.*

Joannes Eduardi filius (ex præclariſſima Columenſium familia, ex qua CC. viri clariſſimi omnium claruerunt) Cardinalis S. Praxedis, legatus in expeditione Hieroſolymitana, anno MCCXX. inter duos poſtes à Barbaris incluſus, jamjam fecandus
C erat, niſi illos divina providentia, ejus conſtantia, fideque permotos, flexiſſet. *Volat. l.22. Anthrop.*

Joannes Cornetanus, quem Vitellicum nominabant, Patriarcha Alexandrinus, ex humili loco in ſenatum adſcitus, duci proptior quàm ſacerdoti, abſente Pontifice legatus, tumultum Romæ compreſſit: ſtatumque reliquum, ac terras rebelles pacavit: de ſontibus ſumendo ſupplicium. *Item.*

Legati, & Oratores cum mandato compoſitionis vel inſpectionis tam privatim quàm publicè miſſi.

☞ *Exempla aliquot ex Tit. Fidei, & Perfidiæ erga legatos, item ex Tit. Legati prudentes in Loco de Legatis.*

Phinees Eleazari Filius facerdos, cum decem Principibus decem tribuum ad Iſraelitas Tranſiordaninos legatus miſſus *Joſue c.22.*

Zorobabel, Ananias, & Mardochæus legati Judæorum ad Darium regem Perſarum miſſi, ut accuſarent Samaritanos templi inſtaurationem prohibentes. *Joſeph. l.11. c.4.*

Eupolemus Joannis filius, & Jaſon Eleazari, legati miſſi à Juda Machabæo ad Romanos, pro ineunda amicitia, 1. *Mac.* 8.
D Græci cùm Tenedum appuliſſent, legatos miſere ad Trojanos, pro repetenda Helena, Ulyſſem oratorem plenum, uberem, planeque Aſiaticum, & Menelaum brevem, atque Laconicum, ut alter eloquentia ſua, alter pondere rerum Trojanum moveret. Utriuſque mores deſcribit. *Homer. Iliad.*

Myrſus Lydus, Gygis F. ab Orœte præfecto Sardinum ad Polycratem miſſus, ut eum ſpe colloquii, & pecuniæ accipiendæ elicieret, & caperet. Id quod & factum eſt. *Herod. l.3.*

Amaſis, legatus ad defectores ab Aprie rege miſſus, ab Ægyptiis rex creatus eſt. Viciſſim Pataremis ad Amaſim legatus, ut eum ob rebellionem vinctum ad Apriem perduceret, cùm re infecta rediret, Apries ei præcidi aures, & naſum præcepit. *Herod. l.2.*

Scylax Caryandes à Dario rege legatus miſſus ad oſtia Indi fluvii indaganda. *Herod. l.4.*

Darius rex ingreſſus in Scythiam, inopia laborabat. Scythæ autem Legatos ad eum miſerunt cum muneribus: ave videlicet, mure, rana, & quinque ſagittis. Darius pro mure terram, pro rana aquas, pro ave equos, pro ſagitta ſeipſos tradere interpretatus eſt. Gobryas hoc dicere dona conjectabat: O perſæ, niſi ut aves avoletis, aut ut mures ſubeatis terram, aut ut ranæ inſiliatis in paludes, non remeabitis, his ſagittis confecti. *Herodotus.*

Lacedæmonii Benemeritos, quo anno ex Equitibus exirent, ne otio torpeſcerent, alios aliò mittebant. *Plut. in Lycurgo.*

Alexander Amynæ F. Macedoniæ rex, à Mardonio, qui à Xerxe relictus erat in Græcia ad eam ſubigendam, legatus miſſus ad Athenienſes pro amicitia contrahenda. Sed re infecta dimiſſus, & eadem de cauſa rurſus Athenas venire prohibitus. *Herod. l.8.*

Demetrius Poliorcetes, Macedonia à Pyrrho pulſus, cùm iterùm deſciviſſent ab eo Athenienſes, inflammatus ira movit in eos, urbemque valida cinxit obſidione. Cæterum miſſo ad ipſum Cratere philoſopho, partim illius adductus precibus, partim rationibus, ſolvit obſidionem, & in Aſiam ad Cariam, & Lydiam, Lyſimacho adimendam, navigavit. *Plut. in Demetrio.*

Ariſtogaras Mileſius legatus Spartam profectus, ut auxilia Jonibus contra Perſas impetraret, inſolita veſtitus munditie, aliiſque delitiis Jonicis affluens, quidam ex Ephoris eum hoc dicto ſubmoviſſe fertur, οἴχου τὰ μανδάματα. id eſt, Domi Mileſia. *Suidas.*

Polycratidas, unus cum cæteris miſſus orator ad duces regios, cùm ab his interrogaretur, Utrùm privatim veniſſent, an publicè miſſi? Si impetramus, inquit, publicè: ſin minùs, privatim. Vox pii candoris in patriam index. Si ceſſiſſet ex ſententia legatio, gloriam volebat Reipubl. cedere: ſin minùs, ignominiam repulſæ ad patriam non pertinere. *Plut. in Laconicis.*

Lacones legati olim cùm ad Lydamum tyrannum iſſent, atque ille congreſſum ſæpiùs differret, dicens ſe malè habere: Die (inquiunt legati) nos non, veniſſe cum illo colluctaturos, ſed colloquturos. *Bruſ. l.3. c.30.*

Agis Archidami filius, cùm ad Philippum regem legatus mitteretur, ſolus regem ſine comitatu acceſſit. Rege mirante: Veni, inquit, unus ad unum. *Plut. in Lac. Apoph.* At *comm. de Garrulitate*, legato Spartano ad Demetrium regem hoc ipſum tribuit.

Lacrines legatus Lacedæmoniorum ad Cyrum cum quinqueremi miſſus, qui illum à bello Jonibus inferendo dehortaretur. *Herod. l.1.*

Charmidas Eutys F. à Spartanis regnante Alcamene in Cretam miſſus ad ſeditiones componendas, & ad perſuadendum, ut quæ oppida à mari longiùs abeſſent, parùm illa quidem munita relinquerent, & pro iis ca incolerent; ad quæ facilè navibus appelli poſſet. *Pauſanias in Laconicis.*

Ad regem Artaxerxem miſſi ſunt legati Thebanus Iſmenias, & Pelopidas jam acie Leuctrica victor, & Timagoras Athenienſis. Iſmenias cùm adorare regem juberetur, annulum ad pedes ſuos humi abjecit, quem inclinato ſuſtulit corpore: unde exiſtimarunt eum Regem adoraſſe. *Plutarchus in Artaxerxe.*

Alexandrum Magnum in India miſſi è civitatibus obſeſſis legati ſupplices adiere: & primùm obſtupuere, cùm in armis eum ſine ulla pompa contemplarentur. Hunc pulvinum, qui allatus ſibi erat, accipere & conſidere maximum natu, Achuphi nomen erat, juſſit. Cujus admiratus benignitatem, & humanitatem Achuphis, quæſivit, quibus conditionibus ipſos recipere in amicitiam vellet? Reſpondente Alexandro: Ut teipſum patriæ tuæ principem imponamus, & vos centum ad nos viros optimos mittatis. Arridens Achuphis: atqui melius, inquit, impetravero rex, ſi deterrimos ad te potiùs, quam optimos miſero. *Plut. in Alex.*

Alexander ad Gymnoſophiſtas, eos, qui erant clariſſimi, ſolitariam autem, quietamque vitam agebant, Oneſicritum miſit petitum, ad ſe ut venirent, Fuit Oneſcritus philoſophus ex Diogenis Cynici contubernio. Ajunt, Calanum ſanè quàm ſuperbè & aſperè juſſiſſe ei, ut poſita veſte adiret ſe nudus: alioqui non congreſſurum cum eo ſe, ne ſi admiſſus eſſet quidem. Dandamin eſſe placidius: ac de Socrate, Pythagora, Diogene cùm audiviſſet, dixiſſe magno ingenio ſibi eos viro videri fuiſſe, ſed nimium reverentes legum. Alii Dandamin nihil memorant, niſi ſolùm hoc quæſiſſe: Qua de cauſa Alexander eò veniſſet tam immenſo itinere? *Plut. in Alex.*

Anaximenes Alexandrum Magnum, Lampſacenis vehementiùs iraſcentem, miſſus à ſuis legatus, placare inſtituerat.

Alexan-

Alexander eò viſo, ut omnem gratiæ occaſionem præcideret,
A jurejurando affirmavit, nihil eorum, quæ Anaximenes, quantumvis præceptor, peteret, ſe conceſſurum. Tum ille: Hoc ergo à te peto, inquit, ò Rex, ut Anaximenis præceptoris tui patriam funditùs evertas. Itaque Alexander Lampſacenis vel invitus pepercit. *Pauſan. lib. 6.*

Phocin legatus ad Antipatrum, victis ad Cranona Græcis, profectus Thebas eſt, adjuncto ab Athenienſibus inter legatos cæteros Xenocrate philoſopho. Tantum enim virtutis Xenocratis erat apud omnes opinio, ut exiſtimarent quamvis feritatem, & excandeſcentiam animi humani ex ſolo aſpectu mitigari poſſe. At vero evenit ob improbitatem Antipatri, & virtutis odium ſecus. Nam primùm complexus alios, non ſalutavit Xenocratem. Unde dixiſſe ajunt illum: Rectè facere Antipatrum, qui indignitatis cauſa, qua civitatem Athenienſem ſtatuerat afficere, unum ſe erubeſceret. Deinde dicere exorſum non ferens, ſed interpellans inſenſus, orationem ejus præcidit. Cùm verò diſſeruiſſet Phocion, reſpondit, amicitiam, & fœdus ſe cum populo Athenienſe facturum his conditionibus: ut Demoſthenem, & Hyperidem ſibi dederent, Rempubl. more veteri ex cenſu tractarent, præſidium in Munychia acciperent, præ-
B tereà impenſas belli, & multam penderent. Has conditiones præter Xenocratem alii legati, ut benignas lætì accepere. Ille enim moderatè ait, Antipatrum ut cum ſervis, ut cum liberis duriter egiſſe. Phocione autem præſidium detrectante, & deprecante, fertur Antipater dixiſſe: Omnia, Phocion, parati ſumus tibi indulgere, exceptis iis, quæ & te, & nos perdent. Alii non ita, ſed interrogaſſe autumant Antipatrum: Velletne Phocion, ſi præſidium remiſſiſſet Athenienſibus, ſponſor eſſe, fœdere civitatem ſtaturam, neque quicquam moliturum novi? Tacente & cunctante illo, Callimedonta Carabum audacem hominem, & liberis populis infeſtum exiliſſe cum hiſce dictis: Quid ſi hic deliret Antipater, tu credes ei, & à conſiliis diſcedes tuis? Ita præſidium Athenienſes Macedonum acceperunt. *Plut. in Phocione.*

Olim Megarenſes Corinthiis erant vectigales. Cæterùm cùm illorum imperium graviter ferrent, ac defectionem pararent, miſſus eſt Legatus Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarenſem cùm alia multa ferociter dixit, tum illud indignabundus vociferans intonuit: Οὐκ ἀνέξομαι ὁ διὸς κόρινθος, id eſt, Non feret Jovi filius Corinthus. Id
C ubi ſæpiùs iteraret, concitatus populus ſucclamare cœpit: παῖε παῖε διὸς κόρινθον, Feri, feri Jovis Corinthum, ſimulque legatum expulerunt. Erat autem Corinthus hic Corinthorum Rex, Jove prognatus: tametſi *Pauſ. in Corinthiacis* negat ſe apud auctores ſerios reperiſſe, Corinthum Jovis fuiſſe filium, ſed vulgus duntaxat Corinthiorum ita prædicare. Ex Interprete Pindari in Nemeis. *Cælius lib. 21. cap. 26. A. L.*

Leontini Chalcidenſium coloni in Sicilia, Athenienſiumque cognati, preſſi opibus Syracuſiorum, legatos Athenas miſere, oratum à populo auxilium Legationis Princeps fuit Gorgias rhetor, orator ſimul, & exorator. *Diod. lib. 12.*

Tauromenitæ Siculi Corinthiorum Ducem Timoleontem cum claſſe receperant. Pœni id indignè ferentes, Legatum cum triremi Tauromenium mittunt: qui poſt multa odioſa verba apud Andromachum oppidi dynaſten, patrem Timæi hiſtorici facta, & fulmina barbarica, niſi actutum eiiceret Corinthios, poſtremò manum ſupinam oſtendit, inde inver-
D tit, additis minis, civitatem ejus ſe, quæ talis eſſet, tamen redditurum. Et ridens Andromachus nihil aliud reſponſi dedit: ſed manum, ut ille nunc ſupinam protendens, nunc pronam, juſſit cum nave abire, niſi eam pro tali effici vellet talem. *Plutarch. in Timoleonte.*

Ariſtæus, & Andreas legati miſſi à Ptolomæo Philadelpho Rege Ægyptiorum ad Eleazarum Pontificem Judæorum pro LXX. Interpretibus. *Joſeph. lib. 12. c.2.*

Metrodorus Scepſius à Mithridate Rege legatus ad Tigranem miſſus, à Rege deſcivit. At Tigranes invitum eum ad Regem remiſit, qui ſeu Regis opera, ſeu morbo in itinere exceſſit. *Strabo.*

Ariſtionem quendam Athenienſem, conſueverat Mithridates ad Græcas civitates legatum mittere. Hic cum Athenienſibus egit, ut in amicitia Romana Mithridatem preferrent. *Pauſ. in Atticis.*

Numam annum agentem quadrageſimum legati Romani acciverunt ad accipiendum regnum. Verba fecerunt Proculus, & Veleſus, quorum alterutrum populus ante videbatur, ad regnum provecturus. Proculi veteres Romani, Tatii factio fuerat Veleſi ſtudioſa. *Plut. in Numa.*

Romæ cùm de legibus populo æquandis inter ordines conveniſſet, miſſi in Græciam, qui præclaras Solonis leges, aliarumque illuſtrium civitatum mores, & inſtituta conſcriberent, Legati ad hoc ipſum miſſi, Sp. Poſthumius Albus, & P. vel Ser. Sulpitius Camerinus, & A. Manlius. *Sabel. lib. 4. Enn. 3.*

Athenienſes Oropum ſociam urbem ditipuerant; Romani mulctam talentum ferè quingentorum eis impoſuerant. Quam ut deprecarentur, legatos miſere tres Romam, Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, & Critolaum Peripateticum: qui in Senatum introducti, interprete uſi ſunt Cæcilio Senatore. Ipſe alioqui ſeorſim quiſque oſtentandi ingenii gratia, magno conventu hominum diſſeruerunt. Carneadis oratio ampla, vehemens & rapida: Critolai gracilis, teres, & venuſta: Diogenis in medio horum, modeſta & ſobria fuiſſe perhibetur. *Gelli. lib. 7. c.14. Noct. Att.* De iis ſic Plutarchus: Legati Athenienſium Romam adventarunt, Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus philoſophus, petitum ut judicio ſublevaretur populus Athenienſis: quo indicta cauſa condemnato, poſtulantibus Oropiis Sicyonis judicibus, lis æſtimata quingentis talentis fuerat. Hos illicò ſtudi-
F fioſſimi quique adoleſcentes adibant, frequenteſque audiebant, & celebrabant. Carneadis lepos præcipuè, cujus magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cùm inſignes, & benignos auditores nactus eſſet, inſtar venti urbem ſonitu complevit: vulgatumque fuit, virum Græcum ad miraculum uſque eximium, omnia delinientem, & allicientem, mirum infudiſſe juventuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum, & oblectamentorum obliti, quaſi fanatici raperentur ad philoſophiam. Cùm ea res cæteris placeret Romanis, atque adoleſcentiam libenter viderent literis Græcis imbui, & excellentibus virtis uti. M. Cato jam ſenex, à primo, ubi influxit in urbem Græcarum diſciplinarum admiratio, ſtomachabatur: veritus ne juventus eò converteret ſtudium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis, & diſciplinæ militari anteferret. Ut verò in urbe nomen increvit horum philoſophorum, ac primas orationes eorum clatus vir C. Aquilius (fortè C. Acilius, *de quo apud Gellium l. 7. c.13. Macrob. l.1. Sat. c.5.*) cùm id officii ut præſtaret, enixè poſtulaſſet ipſe, in ſenatu eſt interpretatus, cenſuit omnes philoſophos ab urbe honeſta ſpecie ablegandos: atque cùm veniſſent inſenatum, incuſavit magiſtratus, quod legati, qui perſuadere G facilè quidvis vellent, dui illic ſine reſponſo ſederent. Quare primò quoque tempore aliquid eſſe cenſuit de legatione ſtatuendum, & decernendum, quò hi ad ludos literarios regreſſi, apud Græcorum filios diſſererent: Romana autem pubes conferret ſe, ut antè, ad obtemperandum legibus, & magiſtratibus. *Plut. in Catone.*

T. Q. Flaminius legatus ad Pruſiam, ut Hannibalem peteret, miſſus, cauſa fuit, ut ad Antiochum ille fugeret. *Plutarch. in ejus vita.*

M. Popilius Lænas, legatus ad Antiochum Epiphanem, qui Ptolemæum Regem amicum pop. Rom. obſederat, miſſus, nunciatum, ut à ſociis pop. Rom. abſtineret: cunctantem, reſponſumque differentem virga circumſepſit, ne ultra ſpacium illud deferendo exiret. Ex quo territus Antiochus, bellum omiſit. *Livius lib. 45. Val. Max.* Plinius tamen C. Octavium pro Popilio ponit, manifeſto errore.

C. Fabricius ad Pyrrhum legatus miſſus de redimendis captivis, ut patriam deſereret, magnis pollicitationibus ab eo H fruſtra invitatus eſt. *Livius lib. 4.*

In ſeditione illa agraria, in qua C. Gracchus perit, factione optimatum oppreſſus, Fulvius Flaccus conſularis Aventinum occupaverat, cùm è diverſo L. Opimius conſul cum patribus forum teneret. Miſit inde Fulvius Filium minorem de Caii conſilio cum caduceo in forum. Erat adoleſcens facie elegantiſſima, & tunc vultu modeſto, atque cum rubore lachrymabundus, de pace cum conſule, & ſenatu egit. Magna pars aſſiſtentium non abhorrebant à pacificatione. Verùm Opimius: Non per nuncios, inquit, oportebat eos ſenatui ſatisfacere, ſed deſcendere, ut cives ſontes, ad cauſam dicendam, permittenteſque ſe ei ita deprecari pœnam. Adoleſcenti verò edixit, ut niſi his conditionibus non rediret. Cajus autem fuit, uti fama eſt, paratus ire & purgare apud ſenatum ſe. Sed cùm id nemo aliorum permitteret, miſit filium Fulvius iterùm ad agendum pro ipſis, ſicut antè. At Opimius qui cupiebat pugnam committere, injecit ex templò adoleſcenti manus, eundemque cæſo tandem Cajo occidit. *Plut. in Cajo.*

K Cl.

Cl. Marcellus unus è tribus legatis miſſus ad Maſiniſſam in
A Africam, ut ait *Livius lib.*50. periit naufragio, paulò ante cæ-
ptum bellum Punicum tertium. *Volat. lib.* 17.

Victis ad Cannas Romnis ab Annibale, Mago Annibalis
frater Carthaginem profectus, feliciſſimæ victoriæ nuncium
ſuis civibus detulit, reſque ab Annibale geſtas magnificen-
tiſſimis verbis in ſenatu expoſuit, & ad faciendam fidem
orationi ſuæ effundi juſſit in veſtibulo curiæ aureos annulos
Roman. equitibus ademptos, quorum cumulum alii modii
unius, alii trium modiorum, dimidiique menſuram exceſſiſ-
ſe tradunt. Petitum deinde ſupplementum, conceſſumque
à ſenatu eſt majore ſtudio, quàm poſtcà miſſum. *Auctor
in vita Annibalis.*

Romani tres in Bithyniam Legatos mittebant, qui inter
Nicomedem filium, & Pruſiam patrem domeſticam diſcor-
diam componerent. Fortè ita evenit, ut legatorum unus ca-
put multis haberet cicatricibus ſparſum, alter pedibus la-
boraret, qui reliquis erat, ſocordi, & ſtupido haberetur in-
genio: in quos M. Cato haud inſulsè cavillans, eam legatio-
nem capite, pedibus, & corde carere dixit. *Sabel. lib. 9. Enn.
5. Ex Plut. Catone.*

B Mar. Craſſum contra Parthos proficiſcentem, adierunt
Arſacis Legati cum brevi oratione. Ea hæc fuit: Si miſſus à
populo Romano exercitus eſſet, geſturum illum implacabile,
& inexpiabile bellum. Sin patria invita, privati Craſſus quæ-
ſtus gratia arma Parthis intuliſſet, & urbes occupaſſet: actu-
rum Arſacem moderatè, & Craſſi miſericordiam ſenectutis
capturum, populòque Romano remiſſurum milites, quos
obſeſſos teneat potius, quàm in præſidiis locatos. Ad ea Craſ-
ſo jactante, Seleuciæ ſe reſponſum daturum: ex legatis Va-
giſes, qui cæteros ætate anteibat, videns, manus ſupinæ oſten-
ſa vola: Hinc priùs, inquit, pili, Craſſe, exorientur, quàm tu
aſpicias Seleuciam. Ita ad Regem Hyrodem diſceſſere, bel-
landum renunciantes. *Plutarch. in Craſſo.*

Cornelius Centurio legatus in creatione conſulis Octavii
Cæſaris, enſis capulum in curia oſtendens, ait: Hic faciet, ſi
vos non feceritis. *Volat. lib.* 23.

M. Æmilius Scaurus, orator inſignis, legatus ad Jugurtham,
ut eum ab oppugnatione Cyrthæ, & à ſeditione Adherbalis
moveret, miſſus eſt. *Saluſt. in Jugurtha.*

Q. Cicero frater, legatus Cæſaris in Gallia, 14. legationibus
præfuit. *Volat. lib.* 20.

C Geminius, cùm in Aſiam miſſus eſſet ad M. Antonium
Triumvirum (qui Cleopatræ amoribus victus tum regebatur)
ut daret operam, quò cum Octaviano redintegrari communis
amicitia poſſet, atque in mutuam concordiam rediretur: voca-
tus ab Antonio in convivium, atque præſente Cleopatra man-
data exponere juſſus, nulla aut ipſius amplitudinis, aut Cleo-
patræ præſentis ratione habita: Quæ tibi, inquit, Antoni, di-
cere juſſus ſum, cum ſobrio, & alio loco, quàm ubi nunc ſu-
mus, tractanda ſunt. Sed utcunque, rem unam vel ebrius di-
cere mihi poſſe videor: ſcilicet res tuas omnes benè ſucceſſu-
ras, ſi Cleopatram in Ægyptum dimiſeris. Liberè notans &
Antonii ebrietatem, & ejus in Cleopatram immodicum amo-
rem. *Plut. in vita Antonii.*

Nicolaus Damaſcenus ab Herode Judæorum Rege (cujus
& res geſtas ſcripſit, plus tamen gratiæ ejus, quàm veritati
tribuens) Romam legatus ad Auguſtum miſſus, Cæſarem
Herodi iratum propter bellum Arabibus illatum placavit, &,
ut Syllæus Arabum legatus damnaretur, effecit. Idem mortuo
Herode, Antipatro regnum obtinuit apud Cæſarem. *Jo-*
D *ſephus lib.*61. *cap.* 17.

Ceperat jam duos Hieroſolymorum muros Titus, & ter-
tium oppugnare parabat. Joſephum ergo Judæum miſit,
qui propius ad murum accedens, populum hortaretur, ut
deditionem faceret. At tantùm abfuit, ut perſuadere po-
tuerit, ut etiam telis ab iis fuerit impetitus. *Joſeph. lib. 6.
c.* 11. *belli Judaici.*

Cùm inter Judæos, & Græcos Alexandriam habitantes exor-
ta eſſet ſeditio, terni ab utraque parte legati delecti ad Cajum
Imp. miſſi ſunt. Apion Alexandrinorum legationis princeps
multa in Judæos jactavit crimina, interque cætera, quod Cæſa-
rem non proſequerentur divinis honoribus. Philo è Judæo-
rum legatis potior, Alexandri Alabarchæ frater, & non impe-
ritus philoſophiæ, parabat cauſam ſuæ gentis agere. Sed repul-
ſus eſt à Cæſare, jubente illum abire, & per iracundiam vix
temperante ab injuria. Quapropter ejectus comitio, verſus ad
Judæos affectatores: Nunc, inquit, oportet bono eſſe animo,
quando Cajus iratus eſt: nunc enim Deus nobis contra illum
aderit. *Joſeph. lib.*18. *c.* 10. *Antiq.*

Leo Byzantius cùm Athenas legatus miſſus eſſet, agitatam-
que videret inter eos longa contentione ſeditionem, in con- E
cionem aſcendens, riſum populo excitavit, obeſus admodum,
ventricoſuſque apparens. At ille nihilo magis perturbatus:
Quid ridetis, inquit, Athenienſes, quòd vobis videar pinguis?
Scitote, mihi uxorem longe pinguiſſimam eſſe: taleſque ac
tanti cum ſimus, concordes brevis admodum lectulus capit:
diſcordes neque tota domus. *Philoſtratus.*

Valentinianus II. Imp. in Italia, fœda Gratiani fratris cæde
accepta, Maximi tyranni potentia ad rationem revocata, de
propria ſalute ſolicitus eſſe cœpit, veritus ſcilicet id, quod po-
ſteà evenit, ne Maximus, Occidente in ſuam ditionem redacto,
ſuperatis Alpibus, in Italiam ſe dimitteret. Itaque conſilio
armorum abjecto, Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem
ad eum pacis cauſa miſit. Is rogatus, cur Valentinianus ad ſe,
tanquam filius ad patrem, non acceſſiſſet. Reſpondit: Aſpero
hyemis tempore puerum cùm matre Alpes incommodè tran-
ſiturum fuiſſe: ſe verò miſſum eſſe, ut de pace ageret, non ut
de Valentiniani officio reſponderet. Tum ille: Expectemus,
quid Victor ab illo reſponſi ferat. Ut autem Victor revertit,
accito ad ſe Ambroſio: Pacem Valentinianus, inquit, accipit, F
adventum abnuit, atque Ambroſio multa de bono Valenti-
niani erga illum animo prædicante, pacem compoſuit. *Sigo-
nius lib. 9. Imp. occid.*

Narrat Sabellicus, quòd Juſtinus ſenior, cùm ad eum pro
legatione veniſſet Joannes Pontif. Romanus, nomine Theo-
derici Regis Gothorum, Arianos in integrum ſub Juſtini di-
tione reſtitui petentis, alioqui Orthodoxorum interitum mi-
nantis, voluerit ab ipſo coronari: tanquam res iſta magis ra-
tum factura eſſet imperium, aut certè auguſtius.

Agapetus Papa Theodahati Regis juſſu ad Juſtinianum
Imperatorem bellum inferentem, legatione pro Italiæ ſalu-
te ſuſcepta, vaſa ſacra pro neceſſario comparando viatico
oppignoravit, atque iter ingreſſus, in Græcia claudum,
& mutum, maximo adſtantium ſtupore, ſanavit. Con-
ſtantinopoli à Juſtiniano, & cuncta civitate pro ſedis digni-
tate receptus, comiter omnes ad ſe adeuntes tractavit, uno
Epiſcopo Anthimo excepto, quem propter hæreſim à ſalu-
tatione ſummovit. Rogatus à Juſtiniano ut Anthimum ad
ſalutationem admitteret, omnino ſe facturum negavit, niſi
Catholicam ille confeſſionem exprimeret, ac ſuam ſedem
repeteret. Neque enim fas eſſe, ut in ſede Conſtantinopo-
litana, pravæ fidei, atque alienæ Eccleſiæ Epiſcopus reſide- G
ret. Theodora verò Auguſta pro eo ſe interponente, & va-
riè preces, minaſque miſcente, nunquam de ſuſcepta dimo-
veri ſententia potuit: quin etiam de criminibus ejus ab Epiſ-
coporum, & Monachorum libellis edoctus, illum com-
munione, atque officio, quouſque reſipiſceret, exuit, eo
nomine, quòd contra leges Eccleſiam invaſiſſet, & à Catho-
licis defeciſſet, atque eos libellos Juſtiniano exequendos
porrexit. Quod ubi Athimus ſenſit pallium Imperatoribus
reddidit. Agapetus verò Menam ei ſuffectum, fidem Chal-
cedonenſis Concilii amplectentem (quod adhuc Rom. Pon-
tifex nullus effecerat) manus impoſitione ſacravit. Inde,
Pelagio diacono apocriſario apud Juſtinianum inſtituto,
dum profectionem adornat, adverſa tentatus valetudine,
Conſtantinopoli obiit. Tum Auguſta, Anthimi, & Euty-
chianorum vicem ſolicita, Vigilium ipſius diaconum advo-
cavit, ac Pontificatum ei, & centenaria decem auri ſpo-
pondit, ſi ſe Anthimum reſtituturum, fidemque ejus con-
firmaturum repromitteret. Quod ille ſummo animi ſtudio
ſanxit: atque inde Romam cum cadavere Agapeti diſceſſit. H
Sigon. Imp. lib. 17. *Imp. occid.*

Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus ſanctiſſimus, varias le-
gationes pro Theoderico Gothorum Rege, & aliis obiit,
ſemperque rebus ex ſententia confectis rediit. *Evodius
in ejus vita.*

Helmogandus legatus Caroli Magni ad Nicephorum Im-
peratorem Græcum, relegatæ Irenes Imperatricis nomine,
quam conjugem Carolus per legatos petebat, dono accepit
gentem Saxonicam ab Imper. Reverſus autem domum, cùm
iſtud Imperatori Carolo renunciaſſet, is ſubridens dixit: Me-
liùs tecum actum fuiſſet, ſi te ſeminalibus Rex Græcus donaſ-
ſet. *Aventin. lib.* 4.

Amalaricus Fortunatus, Germanus, monachus Luxonien-
ſis, vir Græcè, & Latinè eloquentiſſimus, Trevirenſis Ar-
chiepiſcopus, Caroli Magni legatus ad Michaelem Conſtan-
tinopolitanum Imp. ad amicitiam, & pacem ineundam, ac con-
firmandam. Ann. Dom. 813.

Carol. Magnus Albinum, cui Alcuini cognomen redditur,
ex

ex Britannia à Regibus miſſum, ut pacem à ſe impetraret, ob
A eximiam eruditionem complexus, ex legato hoſpitem fecit
ſuum, ex hoſpite præceptorem: vetus Athenienſium exem-
plum imitatus, qui Gorgiam à Leontinis publicè ad ſe miſſum,
legationis munere defunctum, Athenis remorati ſunt, ejus ca-
pti eloquentia. *Sabell. lib.* 9. *Enn.* 8.

Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus, Caroli Magni, ob Græcæ lin-
guæ peritiam, legatus ad Irenem Imperatricem, de pace com-
ponenda. *Aimoin. lib.* 4. *c.* 89. *de Francis.*

Rabanus Maurus, Fuldenſis monachus, legatus miſſus
ab Achajo Scotorum Rege ad Carolum Regem Gallorum.
Sigeb.

Haido, vel Hatto Baſilienſis Epiſcopus, legatus Caroli Ma-
gni ad Imp. Conſtantinopolitanum pacis cauſa, anno Sal. 811.
Scripſit itinerarium. *Aventin. lib.* 4.

Armeniæ Rex ſororem per legatos offerebat Michaeli An-
dronici Palæologi Imp. F. annos natam XII. legati delecti fue-
re ejus ætatis Doctiſſimi viri, Metochites Theodorus, & Joan-
nes Glycys, alter Domeſticus, alter Dromi Logotheta: nec eò
B tantùm, quòd rerum uſum habebant, ſed etiam, quod pru-
dentia, doctrinæque copia tam divinarum, quàm humanarum
rerum, Græcarumque literarum cognitione excellebant. *Gre-
gor. lib.* 6.

Fridericus I. Imp. ſubacto Mediolano, Papia profectus, lu-
ſtrandi regni gratia, Bononiam, quam novo conſilio ab
Alexandro III. cum Mediolanenſibus ſtetiſſe compererat,
minitabundus acceſſit, eo animo, ut ſi Bononienſes reſi-
ſterent, perinde in eos, atque in Mediolanenſes, animad-
verteret. Bononienſes, ſive quod ſe ad tantam belli tempe-
ſtatem ſuſtinendam impares, atque imparatos viderent, ſi-
ve quod miſerabilem Mediolani cladem ante oculos ſibi pro-
ponerent. Friderico repugnare non auſi, Juriſconſultos
ſuos, quibus ille plurimùm tribuebat, obviàm ei miſerunt,
ac ſe in ejus auctoritate futuros oſtenderunt. Quorum ora-
tione placatus, iiſdem, quibus cæteris, conditionibus igno-
vit. Muri veteris, qui adhuc ſtabant, urbis everſi, foſſæque
repletæ. *Sig. lib.*13. *reg. Ital.*

Thanaus Scotorum Brigantinorum ex Hiſpania legatus ad
Scotorum colonos in Hiberniam miſſus, ut inteſtinis ſeditio-
nibus finem imponeret, perſuaſit illis, ut Simonem Brechum,
regio ſanguine Brigantinorum natum, in Regem aſſumerent.
C *Hect. Boeth. lib.* 1.

Milada ab Ulaſta Amazonum Boemicarum regina ad Pre-
mislaum principem miſſa, in arce Viſegradenſi cum comiti-
bus cæſa fuit. *Dubrav. lib.* 2.

Bruno quidam, omnium Haraldi Danorum Regis,
collactanei ſui, conſiliorum unicè particeps, ac conſcius
habebatur. Cui ipſe, & Ringo Sueonum Rex, ejus ex
ſorore nepos, quoties ſecretiore nuncio opus habebant,
mandata credere conſueverant. Eo fluminis cujuſdam
aquis abſumpto, Othinus dæmon ejus nomine, & ha-
bitu ſumpto, arctiſſimam Regum concordiam labefacta-
vit. *Saxo lib.* 8.

Ebbo, Gothari Sueonum Regis legatus, ad Omundum Da-
niæ Regem, pro petenda ejus filia in matrimonium, poſtea-
quam in Sconingiam, ſive Hallandiam, Daniæ regno vicinam,
pervenit, hoſpitio exceptus eſt à duobus fratribus, qui hoſpites
incautos noctu penſili trabe acutis clavis munita dormientes
è lacunari configere ſolebant. Ebbo dolo animadverſo, vix
latronum manus evaſit. Ea injuria irritatus Gotharus, bellum
Danis indixit, & majorem partem regni occupavit. *Joan. Ma-
gn. lib.* 8. *c.* 15.

D Henricos Dandulus Venetorum legatus, eo quod paulo li-
berius quædam locutus eſſet, contra jus gentium ab Emanue-
le Conſtantinopolitano Imp. oculis orbatus eſt. *Volaterran.
lib.*23. *Anthrop.*

Cùm Veneti mercatores ab Alexandrinis peſſimè tracta-
rentur, Senatus Petrum Balbum, quem paulo antè rei matiti-
mæ Imperatorem dixerat, ad Laſcaraphum Sultanum legatum
decrevit. A quo non ſuſcepta legatione (quod quidem tunc
uni ſibi licebat) Dominicus Triviſanus D. Marci procurator
Balbo ſubſtitutus eſt. Quem cùm ad ſe adventantem audiſſet
Sultanus, princeps alioqui ea tempeſtate longè potentiſſimus,
tanti viri publica fama excitus, ſtatim cùm ingenti principum
virorum manu illi occurrit: moxque magnificentiſſimo, regio-
que apparatu exceptum, penes ſe in ſumma amicitia per ali-
quot menſes habuit. Triviſanus renovato ex Reipublicæ dig-
nitate fœdere, ſumma ſua cum gloria domum rediit. *Egnat.
lib.*8. *cap.*16.

Franciſcus Dandulus, Venetus orator, miſſus in Galliam
ad Clementem Pontificem Maximum, ut eum infeſtiorem
Veneto nomini propter Ferrariam receptam placaret, cum E
multa, & varia ſecum agitaſſet conſilia, neque à Pontifice ipſo
iratiore quicquam impetraret, quadrupes effectus, catenaque
ferrea collum nexus, ad Pontificis prandentis pedes canis in
morem ſeſe ſubſtravit. Quo novo ſpectaculo Pontifex atto-
nitus, illum in gratiam recepit, Venetoque nomini injuriam
remiſit. *Egnat. lib.*6. *c.*2.

Beſſarion Cardinalis Nicenus, initio Siſti Pontificatus,
dum ſponte legatus in Galliam ad componendam Ludovici
Regis, & Caroli Burgundi pacem, tanquam extremum Deo
munus oblaturus, proficiſcitur, alteri ſuſpectus parti, rebus in-
fectis reverſus in itinere Ravennæ præ animi dolore mortuus
eſt. *Volat. lib.* 21. *Anthrop.*

Dantes Florentinus, Poeta in ſua lingua inſignis, cùm
Veneti Guidoni Polentano bellum inferrent, apud quem
in otio vixerat, pulſus à ſuis in exilium, miſſus lega-
tus de pace, minimè à Venetis acceptus eſt, nec au-
ditus. *Volat. lib.*1. *Anth.*

Scarbicus, Comes Polonus, legatus ad Henricum VI. Im-
peratorem, cùm ei Cæſar ingentem theſaurum monſtraſſet, F
ſubiiciens: Hic Polonos perdomabit: annulo, quem digito
gerebat, in theſauro projecto: Aurum, inquit, adiiciamus
auro: ſtultam ſcilicet Cæſaris jactantiam notans. Cæſar ſcom-
ma gratias agendo eluſit, *Habdank*, inquiens, lingua Germa-
nica. Inde familiæ nomen manſit, ut Habdanci dicantur. *Cro-
mer. lib.* 5.

Nicolaus de Book, eques, legatus Valdemari Marchionis
Brandeburgenſis, principis ſui nomine ad Romani Regis
electionem Francofurtum miſſus erat. Competitores erant
Philippus Pulcher Auſtriæ, & Ludovicus Bavariæ Dux. Mar-
chio Fridericum Regem ſuo ſuffragio multis literis diplomate
munitis conſtituerat. Legatus nihil muneris à Friderico ex-
ſpectans, ſed & plurimum animos in Ludovicum inclinare
animadvertens, abraſa membrana, expunctoque nomine Fri-
derici, Ludovicum contra voluntatem Domini ſui ſubſtituit.
Ob quod ſcelus Marchio illum in vinculis inedia confecit. *Cu-
ſpinianus.*

Oratorem populus Florentinus ad Joannam Reginam Nea-
politanam miſerat, Franciſcum quendam jureconſultum
profeſſione, reipſa admodum indoctum. Qui cùm Re-
ginæ mandata quædam expoſuiſſet, poſtridieque ad eam re- G
verti juſſus, audiſſet interim Reginam haud aſpernari viros
forma conſpicuos, rediit, multiſque ultrò citrò que dictis,
tandem ſe cum ea ſecretoria quædam loqui velle dixit. Tum
Regina cùm hominem in remotius conclave deduxiſſet, exi-
ſtimans aliquid eſſe occultius, quod communicandum cum
pluribus non eſſet: ſtultus ille, qui ſibi de propria forma
plurimùm perſuaſerat, reginam concubitus poſtulavit.
Tum illa nihil immutata, vultum hominis inſpiciens comi-
ter: Nunquid (ait) hoc tibi Florentini in mandatis quoque
dedere? Tacentem atque erubeſcentem oratorem, ut hujus
rei mandatum aſſeret dicens, abire à ſe abſque indignatione
juſſit. *Poggius in Facetiis.*

Laurentius Medices à Florentinis legatus Neapolim ad
Ferdinandum Regem miſſus erat. Cùm autem ex Regiis
equis unus adductus eſſet, quo vectus Laurentius unà cum
Rege (qui ei non tanquam privato obvius venerat) in ar-
cem contenderet. Tum ſibi equo opus fore, reſpondit, cùm
à tanto Rege pacem impetraſſet, quo nuncio optatiſſimo ci-
vitatem ſumma celeritate perfundere. Neque verò eum ſpes
ſua fefellit. Nam Ferdinandum lenocinio orationis, & co-
mitate quadam, quæ in eo virtus dicitur planè regia fuiſſe, H
ita ſibi devinxit, ut ex hoſte infenſiſſimo amicum patriæ ſum-
mum redderet. Sic qui Laurentii odio bellum Florentinis in-
dixerat, ejuſdem colloquio iram omnem poſuit. *Brutus lib.*
7. *hiſt. Flor.*

Carolus Barbianus, Belgiojoſi Comes, Ludovici Sforciæ
apud Galliæ Regem Carolum IX. legatus, ſuſcipiendæ contra
Aragonios Neapolitanæ expeditionis partim precibus, Regi
juveni, partim precio conſiliariis avariſſimis perſuaſit. *Guic-
ciardin. lib.* 1.

Franciſcus Cardinalis Senenſis, ab Alexandro VI. Pontifice
ad Carolum IX. qui ad bellum proficiſcebatur Neapolitanum,
magnis de rebus miſſus, Lucam uſque proceſſit. Ubi cum
competiſſet, Regem ſe non ut Apoſtolicæ ſedis legatum, ſed
ut Senenſem antiſtitem auditurum: homo præſenti conſilio, &
quem Pii II. Pontificis perneceſſarium agnoſcas, & alumnum:
Quando, inquit, ut legatus non recipior, ut tanquam Senenſis
antiſtes accedam non expedit, atque ita infecta re retrò abiit.

Erat Caroli Regis haud obſcurum odium in Pii Pontific. me-
A moriam, & ejus neceſſarios. *Sabel. lib. 9. Enn. 19.*

Petrus Soderinus legatus Florentin. ad Ludovicum XII. Regem Galliæ, cùm ſua interceſſione tantùm effeciſſet, ut patria, & à Vitellocio Alexand. VI. Pontif. Mediceos reducere conantis copiarum duce liberata ſit, & urbes omnes ademptas receperit à Florentino populo, uti pater patriæ, inuſitato hucuſque more, antiquato bimeſtri magiſtratu, adminiſtrandæ Reipublicæ Dictator perpetuus creatus fuit. *Jov. in Leon. X. lib. 1.*

Senatus Venetus Dominicum Triviſanum, & Antonium Bolduum ad Hiſpaniæ Reges legavit, qui procurarent, uti ex induciis ſemeſtribus inter eos, & Carolum Galliæ Regem factis diuturna pax fieret. Quibus profectis Antonius, eloquentia planè ſingulari, & præſtanti vir ingenio, in itinere adverſa valetudine interceptus, Genuæ interiit. Ejus morte audita Senatuſconſultum factum eſt: Cùm Antonius Bolduus Andr. filius ex equeſtri ordine, nullum laborem pro Republica refugiens legatione ad Reges Hiſpaniæ ſuſcepta in itinere mortem obierit, Senatui placere, ut Gabrieli Bolduo ejus filio primo
B quoque tempore in ſano Patavino ſacerdotium attribuatur, quo ſe, fratreſque ſuos alere commodiùs, atque honeſtiùs poſſit: idque paulo poſt ſacerdotium ab Alexandro Pontifice, Senatu petente, Gabrieli eſt attributum. *Bembus lib. 4. Venetæ hiſtoriæ.*

Florentini 1511. Franciſcum Guicciardinum, qui Hiſtorias ſui temporis conſcripſit, Juriſconſultum, adeò juvenem, ut per ætatem patriis inſtitutis ei ad nullum magiſtratum gerendum aditus pateret, legibus ſolutum, ad Aragoniæ Regem Ferdinandum oratorem miſerunt. *Guicciardin. lib. 10.*

Cùm ann. 1530. Carolus V. Cæſar ex fœdere cum Pontifice Clemente VII. contra Florentinos percuſſo, Mediceos in patriam reducturus Florentiam obſidione diuturna premeret, ea fuit pertinacia civium populari ſtatui faventium, ut crudeli pœna ſeviretur in eos, qui pacem amplectendam liberiùs dicerent. Tandem verò Philippo Meliore, honeſto in Republ. juvene, è ſuggeſtu apud Senatum frequentiſſimum perorante, & pacem accipiendam ſuadente, patres
C legatos omninò mittendos ad Pontificem decreverunt. Sed ea præpedientium malignitas fuit, ut non hi, quos negotii magnitudo flagitabat, ſed leviſſimæ alioqui auctoritatis, verum egregiè populares homines legerentur. Hi fuere Aloyſius Soderinus, qui nihil uſque adeò gravi negotio dignum ab uſu rerum præter familiæ nomen præteribat, & Andreolus Nicolinus, Aſſiduus, & diligens potiùs mercator, quàm ſenator: atque item Robertus Boncius, quem jam pridem Thomæ Soderini ſoceri propinquitas, quò minùs enixè concordiæ ſtuderet, maximè ſuſpectum faciebat. Hos, ubi Bononiam pervenerunt, Pontifex, quod nec ſatis dignitatis, nec ſatis induſtriæ, ſinceræque voluntatis, & fidei in his conſpiceretur, adeò contempſit, ut effuſè rediret, quod ad ſe pro eximiis ſenatoribus, mercatores, nec primæ quidem claſſis, è Florentia miſiſſent. Nam quod ad elevandam legationis exiſtimationem maximè pertinuit, apparitores, miniſtrique vectigalium Bononienſium, in ipſorum ſarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas magnam vim, mercimonii cauſa, ut portorium ſubterfugerent, deprehenderant.
D Quæ calliditas inepta negotio longè graviſſimo, tanquam involuta tenuiſſimi lucri ſordibus, eo validius ridenda fuit, quod nihil certi ad conficiendam pacem, prolatis mandatis attuliſſent. Atque ita Clemens, ridente etiam Cæſare, mercatorum avaritiam, atque imperitiam, in maximarum rerum conſilio, periculoque ad exiguam lucri ſpem revocatam, ſtomachatus, pertinaciam inſaniæ proximam exprobravit, ut inde non obſcurè explofi dimitterentur. Ubi verò demum ſunt reverſi, quod nihil omninò pepigiſſent, tanquam patriæ dignitatis egregiè memores, atque conſtantes, ab ipſa factioſorum multitudine laudati, celebratique ſunt: gementibus bonis civibus, qui deſperata concordia, nullum niſi maximè funeſtum belli, atque obſidionis exitum expectabant. *Jovius lib. 28. Hiſt.*

Cùm Clemens VII. Rom. Pontifex, & Carolus V. Imp. Bononiam negotii cauſa conveniſſent, Franciſcus Alvares legatus Davidis, vulgò Prætogiam dicti, Regis Abyſſinorum Æthiopum, qui mediterraneam Africæ partem tenent, eò, Joannis Luſitaniæ Regis oratore duce, acceſſit, atque in ſenatu ſui Regis nomine promiſſum fidei, obedientiæque Clementi fecit, ann. Salut. MDXXXIII. menſe Februario. *Polyd. lib. 4. c. 2. de Rerum invent.*

Hermolaus Barbarus legatus Venetorum ad Pontificem, cùm ab Innocent. Pp. Patriarchatum Aquilejenſem contra leges patrias, quamvis invitus, ſuſcepiſſet: iſtudque vehemen- E
ter magiſtratui improbari animadverteret, nec tamen hoc ſe munere ampliùs extricare poſſet: ægritudine animi mortuus eſt. *Bembus lib. 1. Venetæ hiſt.*

Senatores.

☞ *Conſule Tit. Prudentes conſiliarii. Illic Virtutis, hìc Dignitatis habetur ratio.*

Joſephus ab Arimathia ſenator Hieroſolymitanus, occultus Chriſti diſcipulus. *Matth. 27. Luc. 23.*

Conſiliarii.

☞ *Conſule Tit. Prudentes conſiliarii. Illic Habitus, hìc Dignitas conſideratur.*

Diodorus Mercurium ſcribit fuiſſe Iſidi, & Oſiridi in conſilio. Cùmque in expeditionem Oſiris iret, Mercurium ceu conſiliarium Iſidis conjugis domi reliquiſſe, hominemque fuiſſe inſigni prudentia, multaſque tradidiſſe mortalibus artes, ac ſcientias. Hunc exiſtimat *L. Vives in lib. 8. Auguſt. de Civ. Dei cap. 26.* fuiſſe avum Hermæ Triſmegiſti, qui ſcripſit, illumque vocatum eſſe Theut, dæmonem, ut ait *Plato in Phædro*, qui artes mathe- F
maticas, & literas, & aleam invenit, detulitque ad Thomam Ægypti Regem, qui Rex poſteà dictus eſt Ammon.

Judices.

☞ *Judices, quatenus dignitatem obtinent, inter Honoris, & dignitatum titulos referentur: Quatenus prudentes juſti ſunt, eatenus Prudentiæ, & Juſtitiæ locum merentur.*

Diſceptarunt Athenienſes cum Mitylenis, de poſſeſſione agri, Periandro judice, atque arbitro. *Laert. in Pittaco.*

Temiſtoclem Corcyræi controverſiæ, quam habebant cum Corinthiis, ceperunt judicem. Is diremit pugnam eorum, judicavitque ut viginti talenta Corinthii iis penderent, & Leucadem poſſiderent communem utrique coloniam. *Plutarch. in Themiſtocle.*

Cùm Leo III. Pp. Carolo Magno Imp. claves ſacras, inſigne Pontificiæ dignitatis, & aquilam ſignum Romani Imperii miſiſſent, & ſe, & Romam in ejus fidem commendaſſet, ac po- G
ſtulaſſet, ut legatos Romam amandaret, qui populi Romani fidem ſacramento Carolo devincirent: miſit Carolus duodecim Proceres divini juris prudentes in Italiam, & Romam, ut controverſias cognoſcerent, ſupplices audirent, cauſas abſolverent, lites dirimerent, & jus dicerent. *Aventinus lib. 4. Annalium.*

Otho Vicecomes, Archiepiſcopus Mediolanenſis, patato jam imperio, ac hoſtibus præcipuis debellatis, in Matthæum Magnum, ex Theobaldo Andreocii fratris filio pronepotem, ſenex omnia humana jura contulit, adeò ut utrumque magiſtratum unus occuparet, impleretque. Nam & gerebat bellum ut Dux, atque equitum magiſter, & è tribunali in prætorio patientiſſimè jus dicebat, ut ipſe omnium litium diſceptator, & judex ex arbitrio judicaret, & omnis ſubinde provocatio tolleretur, res gravi civium incommodo ad ſerendas lites excogitata. *Jovius in vita Othonis.*

Alphonſus Caſtellæ, & Garſias Navarræ Reges, poſt longas controverſias, de agrorum poſſeſſione circa fines utriuſque regni ortas, tandem datis utrinque obſidibus, rem om- H
nem ad Henricum II. Angliæ Regem retulere, atque ejus judicio ſe ſtaturos jurejurando promiſere. Henricus inter Reges diſceptator factus, de re controverſa ad ſuum domeſticum ſenatum retulit, auditiſque ſingulorum conſiliariorum ſententiis, ita poſtremo ſecundùm alterum judicavit, ut alter ejus
D judicio ſteterit. *Polyd. lib. 33.*

Notaras, ſive Leontaras judex Byzantinus à Mahometo Turcarum Imp. poſt captam Conſtantinopolim cum liberis, & uxore benignè tractatus eſt, & à Turcis militibus redemptus, cùm in magna ob prudentiam exiſtimatione eſſet. At ubi filium XII. annos natum tyranno libidinoſo dare recuſavit, cum liberis ad mortem raptus eſt. *Chalcocondylas lib. 8.*

Hercules Ateſtinus Ferrariæ Princeps de Piſano bello, quò admodum ſibi videretur, ſtatuendi poteſtate à Florentinis, & Venetis longo bello ſeſſis tradita cum legatione, quam ad illum Florentini miſerant, cùmque Ludovici legato ad urbem venit. In urbe cum eſſet, tres ei cives Principis collegium attribuit, qui ei præſtò eſſent: ſi quid petere, aut cognoſcere vellet, atque ad principem, & Patres renuntiarent. Scripto autem, neq; dum prolato judicio, cùm ſe id Hercules Patribus oſtenſurum eſſe

eſſe diceret, ut ſi quid aboleri, aut commutari vellent, liceret:
A Geor. Cornelius unus ex Principis collegio Patres eſt hortatus, afferri ad ſe libellos juberent, atque inſpicerent, ne ignaris ipſis, quid Hercules judicaturus eſſet, ſententia proferretur. Sed is reprehenſus à Patribus (cùm dicerent non eſſe æquum data Herculi per Senatum poteſtate ſuo arbitrio judicandi, nunc ei leges velle imponere, ſi quæ ſcripſerit, ſint improbaturi: ſi non ſint, fruſtra inſpici, quæ non improbentur) contticuit. *Bembus lib. 4. Veneta hiſt.*

Carolus V. Cæſ. de Ferrarienſi controverſia inter Clementem VII. Pontificem, & Alfonſum Ateſtinum Ferrariæ Ducem his legibus ſententiam tulit, ut Ferraria Pontificii imperii auctoritatem, libertatemque perpetuò reſpiceret, & Alfonſus, poſterique ejus ſe Romani Pontificis beneficiarios fide, atque obſequio profiterentur, certumque auri pondus tributi nomine penderent. Mutina verò, tanquam Imperatorii juris atque obiter veteris conceſſionis beneficium jampridem eſſet
B conſecuta, Alfonſo, Ateſtinæque domui redderetur. Ab eo autem grave auri pondus Clementi ſolveretur, ſi ejus ſententiæ beneficio uti vellet. Hoc promulgato Cæſaris judicio, Alfonſus mirum in modum eſt lætatus. Id verò Clemens uſque adeò graviter, ac indignanter tulit, ut nihil ſibi molestius accidere potuiſſe, amarulentis ſermonibus fateretur. *Jovius in Alfonſo.*

Cenſores.

Tiberio Graceo cenſore, cùm reverteretur à cœna domum, lumina cives Romani reſtringere ſolebant, quod timerent, ne longiùs quàm oporteret, conviviis indulſiſſe viderentur. *Plut. in Tiberio.*

Q. Pompejus, & Metellus Macedonicus, cenſores fuere, ambò plebeii. Quod ad eam diem nunquam acciderat, ut ex eo ordine duo ſimul eſſent cenſores creati. Fecerunt cenſuram illam nobilem ad poſteros Metelli acta. Extitit is auctor, ut creandorum liberorum cauſa, civitas connubiis ſedulò daret operam. Habuitque ſuper ea re orationem ad populum, cujus pauca adhuc reſtant. *Sabel. lib. 1. Enn. 6.*

Appius Claudius Cæcus, dum cenſuram ageret, filiis libertinorum in ſenatum adſcitis, ordinem inquinaſſe dicitur primus. *Alex. lib. 4. c. 11.*

L. Paulum Æmilium, rebus contra Perſeum geſtis clariſſimum, Romani dignitate cenſuræ ornarunt. *Plut. in Paulo.*

C. C. Quint. Flaminius poſt res in Græcia geſtas, & bellum Antiochi, cenſor eſt creatus. Eſt is ſummus magiſtratus, & Reipubl. gerendæ quaſi culmen. Collegam habuit Marcelli, qui Conſul quinquies fuit, filium. Senatu moverant quatuor non admodum illuſtres. Cenſuerunt omnes, qui cives ſe profitebantur, ſi ex ingenuis parentibus eſſent. Coacti id fuere à Tribuno plebis Terentio Culeone, qui obtrectans optimatibus, populum ad id ſciſcendum induxit. *Plut. in Flaminio.*

Cn. Pompejus Conſul unus dictatoria poteſtate creatus, ad ambitum, cæteraque vitia civitatis coercenda. Quod nunquam anteà Romæ contigerat. *Sabel. lib. 6. Enn. 6.*

M. Cornelius eodem anno in C. Julii cenſoris demortui locum ſuffectus eſt. Id, quia eo luſtro Roma à Gallis poſteà capta eſt, religioni fuit, ut jam inde in demortui cenſoris locum quiſquam ſufficeretur. *Sabel. lib. 9. Enn. 3.*

Duces militiæ.

☞ *Exempla Pete ex Tit. Fortitudo ducum bellica. Item ex Tit. Triumphorum.*

Abner Neris F. Saul Regis, & poſt ejus mortem Isboſeth
D ejus filii Polemarchus. Defecit poſteà ad Davidem. 2. *Reg.* 3.

Joab Aſa, & Sarviæ ſororis Davidis Regis F. Davidici exercitus Polemarchus fuit. 2. *Reg.* 2. & 3.

Naaman Syrus Polemarchus Benadad Syrorum Regis, leproſus, ab Eliſæo propheta curatus. 4. *Reg.* 5.

Miltiades Cimonis F. (Ejus, qui Piſiſtrati tyrannidem fugiens, ter Olympicam palmam quadrijugo vicit certamine, iiſdem equabus) ad Marathonem unus ex decem ducibus, quos Athenienſes contra Perſas pugnaturi ſibi præfecerant, Callimacho Aphidnæo Polemarcho undecimo exiſtente, cùm cæteri Duces prælium cum Medis committere diſſuaderent, ſolus reſtitit, & Callimacho idem perſuaſit. Itaque cùm dies ſui imperii veniſſet, acie inſtructa memorabili clade Marathonia Perſas affecit. *Herodot. lib. 6.*

Datis Medus, Dux Darii contra Eretrienſes, & Athenienſes, in locum Mardonii ſuffectus. *Herod. lib. 6.*

Scopas Ptolomæi Epiphanis Dux. *Joſeph. lib. 12. c. 3.*

Cleopatra Ægypti regina, mortuo marito Ptolomæo Ever-
gete ſeu Phyſcone, Ptolemæum Lathurum filium regno expulit, ducibus Chelicia, & Anania Judæis, filiis Oniæ, E
cui Philometor in regione Heliopolitana templum Hieroſolymitano ſimile extruendum conceſſerat. *Joſeph. 13. c. 21. Ant.*

Beliſarius Juſtiniani Imp. Dux, Græcus homo, Perſas in Oriente vicit, Vandalos in Africa, ducto in triumphum Gilimere: Gothorum in Italia gentem, capto Vitige Rege, ſuperavit. Poſt hæc Africam repetens, Vandalorum gentem, redintegratis viribus bella renovantem, Reipub. Rom. ſubdidit, Rege eorum Guntario interfecto. Victor inde Romam reverſus, crucem auream, ubi res ejus geſtæ celatæ fuerant, Petri Baſilicæ obtulit. *Volat. lib. 3. Antrop.* At Jo. Leoclavius, qui Zoſimum convertit, ex eodem obſervavit Gothum, ſive Germanum fuiſſe Beliſarium.

Claſſis præfecti.

Xerxis Perſarum Regis ad Salaminem claſſis præfectus Ariamenes ingenti vectus nave, jacula, & ſagittas velut è muro ingerebat, qui vir inſignis erat, & Regis fratrum longè fortiſ- F
ſimus, & juſtiſſimus. Eum Amenias Decelenſis, & Soficles Pedienſis, una vecti, ut concurrentes inſeſtæ naves, & in ſe mutuò impactæ roſtris cohæſere, inſilientem in ipſorum navem exceperunt, haſtiſque afflictum præcipitaverunt in mare. Corpus ejus inter cætera fluitans naufragia Artemiſia agnitum deportavit ad Xerxem. *Plut. in Themiſt.*

Achæmenes frater Xerxis, præfectus claſſis, quam Xerxes contra Græcos duxit. *Herod. lib. 7.*

Eurybiades Euryclidæ F. Lacon. præfectus claſſis 271. navium, quas Græci ad Artemiſium contra Xerxem collegerant. *Herod. lib. 8.*

Parrocles præfectus claſſis Seleuci, & Antiochi Regum, qui Indiam exploravit. *Plin. lib. 6. c. 17.*

Timoſthenes Ptolemæi Philadelphi claſſium præfectus, Æthiopiam luſtravit. *Plin. lib. 6. c. 29.*

Magiſtri equitum.

☞ *Conſule Tit. Dictatorum ſuprà.*

Nabuzardan magiſter equitum, Nabuchodonoſoris Chaldæorum Regis, qui Hieroſolymam incendit, populum omnem Babylonem abduxit, vaſa templi abſtulit. 4. *Reg.* 25.

Ludovicus Lucemburgius equitum magiſter apud Ludovicum XI. Galforum Regem, bello contra Carolum Burgundum proditionis infimulatus, tandem cùm inter
utrumque conveniſſet, ut uter eorum prior illum in potes- G
ſtatem redigeret, vel intra octavum diem ſupplicium de eo ſumeret, vel puniendum alteri traderet: à Duce Carolo, ad cujus aſylum ſe receperat, Ludovico Regi Lutetiam miſſus fuit, ibique de eo publicè ſupplicium ſumptum. *Æmilius lib. 10.*

Franciſcus I. Gallorum Rex, equitatui, quem in Italiam ducebat, Carolum Borbonium, Bojorum & Arvernorum principem, præfecit, quem cum paulò ante propter generis elaritatem, uſumque militiæ Magiſtrum equitum creaſſet: quem honorem, ut ſuſpectum, & formidabilem regibus damnato, necatoque S. Pauli comite, ac tum rebellantibus Galliæ regulis, Ludovicus XI. aboleverat. *Jovius.*

Ann. 1538. Franciſc. I. Galliæ Rex Annam Momorancium, curiæ præfectum, creavit Magiſtrum equitum, ipſi Conneſtablium vocant, qui ſummus eſt ibi gradus honoris. Vacaverat autem hoc munus inde à Carolo Borboniorum Duce, per annos ferè quindecim, nam hujus defectione Rex vehementer H
offenſus, nemini illud ad hoc uſque tempus communicaverat, & non uni magiſtratus hoc infeliciter alioqui ceſſit, quando ſumma poteſtate abuſi, vel Reges ipſos, vel optimates in ſe concitarunt.

Scribæ, Cancellarii, ab Epiſtolis, à Secretis.

Prexaſpes Perſarum ſatrapa, Cambyſi Regi à ſecretis, cujus opera Smerdes frater Cambyſis interfectus fuit. Ejus poſteà filium Cambyſes ſagitta interfecit: ægrè ferens, ſe ab eo ebrietatis cauſa reprehenſum fuiſſe. *Herod. lib. 3.*

Eginhardus à ſecretis Carolo Magno, ejus filiam uxorem duxit. Videns enim Imperator aliquando eum noctu à filia ſua in gynæcum deportari humeris, ne veſtigia in nive animadverterentur, eam illi tradidit uxorem.

Turpinus Caroli Magni ſecretarius, Epiſcop. Rhemenſis, ſcripſit geſta Caroli. *Tritbemius.*

Adaldagus Hamburgenſis Pontifex tandem factus, cùm per annos quinquaginta trium Othonum Imperatorum curias ſequutus, cancellariam adminiſtraſſet, & multa, quæ extant im-

peratorum, nominibus decreta, & conſtitutiones concepiſſet.
A *Crantz. lib. 5. Saxon. c. 3. & lib. 3. Metrop. c. 16.*

Sindigerus in aula Henrici III. Imp. epiſtolarum aliquamdiù magiſter Epiſcopatum Bambergenſem adeptus eſt, poſt quartum verò annum, ad ſummum Pontificatum ſub nomine Clementis II. conſcendit, Imperatoris auctoritate: quem mox Imperii diademate, & Auguſti nomine ornavit.

Hemirphemes Caſſiani Antiocheni Principis ſcriba, urbem prodidit Chriſtianis. *Æmilius lib. 4.*

Florentini in legendis Cancellariis non juris ſcientiam, ut plerique civitates, ſed oratoriam ſpectant, & quæ vocant humanitatis ſtudia. Norunt enim rectè ſcribendi, dicendique artem, non Bartolum, aut Innocentium, ſed Tullium, Quintilianumque tradere, Itaque tres in ea urbe, Græcis & Latinis literis illuſtres, Cancellariatum ordine tenuere, Leonardus, & Carolus Aretini, & Poggius, qui ſecretarius Apoſtolicus tribus quondam Roman. Pontificibus dictarat epiſtolas. Præceſſerat illos Collenucius, de quo Galeacius Mediolanenſium Dux dicere ſolebat, non tam ſibi mille Florentinorum equites, quàm
B Collenucii ſcripta nocere. *Æneas Sylv. c. 54. Europe.*

Caſpar Schlickius Francus, trium Cæſarum cancellarius, Sigiſmundi, Alberti, & Friderici III. tanta omnium cum gratia, licèt diverſis penitus moribus eſſent, ut multis oppidis ab iis ditatus fuerit. Mortuus tandem Viennæ apoplexia. *Æn. Sylvius c. 53. hiſt. Boem. & Bonfin. lib. 3. Dec. 3.*

Thom. Morus, dum viveret, Angliæ regni Baro fuit inclytus, ac ſupremus Judex, quem illi Cancellarium appellant, qua dignitate non eſt apud eam gentem alia major, excepto Rege: eoque, cùm prodit, aureum ſceptrum impoſita corona Cæſarea geſtatur ad unum latus, ad alterum liber. *Auctor vitæ.*

Quæſtores Monetæ Tributo Ærario præfecti. Theſaurarii.

Aduram tributo perfectus fuit à Davide Rege, 2. *Regum* 20. David Rex, Jabin ex Moyſis familia oriundum cuſtodem theſaurorum templi conſtituit. *Joſeph. lib. 7. Antiq. c.* 15.

Jeroboam Nabath. F. Ephratæus, humili loco natus, à
C Rege Salomone muris Hieroſolymæ ædificandas primùm, mox Joſephæorum tribulium tributo præfectus, ab Achia Silonio vate Iſraelitarum Rex deſignatus, licèt vivente Salomone voto ſuo non fuerit potitus, eo tamen mortuo, divino permiſſu à Roboam Salomonis F. decem tribus abduxit. 3. *Reg.* 11.

Lyſimachus, Menelai Pontificis Hieroſolymitani frater, theſauris templi præfectus ærarium omne exhauſit, ut fratrem ab Antiocho Epiphane captum redimeret. Orto populi tumultu ad ipſum obtruncatus eſt ærarium. 2. *Mach.* 4.

Heliodorus Antiochi Epiphanis Syriæ Regis quæſtor, theſauros Hieroſolymitanos compilaturus, à duobus angelis flagris ad mortem uſque cæſus, voto facto, Oniæ Pontificis precibus ſanitati reſtitutus eſt. 2. *Mach.* 3.

Simon Benjamites, templi Hieroſolymitani theſaurarius, Oniæ Pontificis optimi odio, ſecreta omnia Seleuco Philopatori Syriæ Regi enunciavit, & templum opulentiſſimum, quantum in ſe erat, ſpoliandum tradidit. *Idem.*

Harpalus Babyloniis theſauris ab Alexandro Magno præfectus, cùm audiviſſet Alexandrum in Indiam profectum, de reditu ejus deſperans, theſauros profundere cæpit alacriter. At
D cùm reverſus Alexander præfectos multos morte mulctaſſet, idem de ſe timens, collectis quinque millibus talentorum argenti, ex Aſia in Atticam contendit. Excluſus ab omnibus Athenas venit. Cùm ab Olympiade, & Antipatro nuncii eum petituri veniſſent, ipſe aufugit. Tandem in Creta à Thimbrone, uno è ſuis familiaribus, per inſidias interemptus eſt. *Diodorus lib.* 17.

Græci etiam imperio Lacedæmoniorum nonnihil ſtipendii contulerant. Verùm poſteaquam ad Athenienſes tranſiverunt, ob Pauſaniæ tyrannidem, quia oppidatim nolebant id imponi ſingulis æqualiter, Ariſtidem ab Athenienſibus poſtulaverunt, eique negotium dederunt, ut inſpecto agro, & vectigalibus, præſcriberet, pro cujuſque facultatibus, & opibus quantum penderet. Qui cùm tantæ rei haberet arbitrium, & cùm Græci quodammodo ſummam rerum ad unum eum detuliſſent: pauper profectus eſt, & reverſus pauperior: tribuitque deſcriptionem non ſolùm innocenter, & æqualiter, ſed etiam gratè omnibus, atque convenienter fecit. Ut enim Saturni regno priſci, ita Athenienſium ſocii deſcriptum ab Ariſtide tributum, felicitatem Græciæ appellantes, ferebant illud in cœlum: maximè quia non multò poſt duplicatum mox triplicatum fuit. Quod enim indixit Ariſtides, ſexaginta, & quadringenta talenta efficiebat. Huic adjecit Pericles penè trientem: ſiquidem E
ſexcenta talenta Thucydides ait initio belli Peloponneſiaci populo Athenienſi ſocios tuliſſe. Defuncto Pericle, qui populum tenebant, tributum intendentes, paulatim ad mille trecentorum talentorum ſummam redegerunt: non ita quod propter longinquitatem, & clades flagitaret tantos ſumptus bellum, ut quòd ad largitiones, ſed ſpectaculorum ſportulas, ſignorum, & templorum extructiones, populum impuliſſent. Cùm igitur magno nomine Ariſtides, & illuſtri eſſet ex tributi digeſtione, dicitur, Themiſtocles eum deriſiſſe: quaſi non ea viri laus, ſed loculorum eſſet, quibus aurum aſſervatur. *Plut. in Ariſtide.*

Attalici Reges à Phyletæro Tyanenſi eunucho ortum habuere. Lyſimachus Agathoclis filius, qui unus fuit ex Alexandri ſucceſſoribus, Acutum montem ſupra Pergamum communiit, & ſuos ibi theſauros poſuit. Quorum cuſtodiam Philetæro tradidit. Sed is, cùm ab Arſinoe Lyſimachi uxore diſſideret, quæ eum accuſaverat, tempus ad defectionem expectavit. Intereà Lyſimachus malo concilio ductus Agathoclem filium interfecit: Seleucus autem Nicator reverſus illum F
ſuſtulit & ipſe à Ptolemæo Cerauno dolo interemptus eſt. Inter hos tumultus eunuchus in arce ſe continens, viginti annis caſtellum, & pecunias poſſedit. Hujus nepos ex fratre Eumenes regnum uſurpavit. *Strabo lib.* 13.

P. Val. Poplicola Coſ. cùm eſſet ad bellum collatione ſtipendii opus pro facultatibus civium: quòd pecuniam neque tractare ipſe vellet, neque permittere amicis, nec verò ut omnino in tecta privata pecunia publica deferretur, attribuit ærario templum Saturni, populoque conceſſit, ut duos Quæſtores crearet. Creati primi P. Veturius, & M. Minutius. Ingens vis eſt pecuniæ coacta. Cenſiti fuere centum triginta millia. Orbis, viduiſque gratia facta tributi pendendi. *Plutarch. in Valerio.*

L. Lucullum bello Marſico conſtantiæ cauſa, & manſuetudinis comprehendit Sylla amicitia, ejuſque opera maximis quibuſque in rebus perpetuò uſus eſt: in quibus fuit monetæ negotium. Siquidem bello Mithridatico pleraque in Peloponneſo per eum ſignata eſt, à quo Lucullia eſt dicta, diuque duravit in bello, ex uſu militari citò permutata. *Plut.* G
in Lucullo.

Mithridates quæſtor Cyri Regis Perſarum, qui regio juſſu vaſa ſacra Judæis ad reficiendum templum Zorobabele profecturis reſtituit. 1. *Eſd.* 1.

Ædiles.

Fertur Domitius Nero, Neronis avus, dum ædilitatem gereret, adeò procax & animi immodicus fuiſſe, ut L. Plancum cenſorem via ſibi credere coegerit. *Alex. lib.* 3. *c.* 13.

Præfecti annonæ.

Joſeph Jacob F. à Pharaone Rege univerſæ Ægypto præfectus fuit, ut annonæ magiſter eſſet. *Gen.* 41.

Rei Domeſticæ præfecti. Procuratores domus.

Pharao Joſeph univerſæ Ægypti annonæ, & domui ſuæ præfecit, propter ſomnii interpretationem. *Gen.* 41.

Abdias procurator domus Achab. Regis, centum prophetas in antro abſconditos pane, & aqua ſuſtentavit. 3. *Reg.* 18.

Eliacim Helciæ F. procurator domus Ezechiæ Regis Judæorum. 4. *Reg.* 18.

Patizithes magus, curator rei domeſticæ Cambyſis Regis, cum fratre ſuo Simerde, contra Regem parantem expeditio- H
nem in Ægyptum, rebellavit. *Herod. lib.* 3.

Præfecti Eunuchorum.

Aſphenez ſpadonum Regis Nabuchodonoſoris magiſter. Itidem & Malaſar, quibus Daniel cum ſociis commiſſus fuit. *Dan.* 1.

Præfecti cubiculo.

Menedemus L. Lucullo à cubiculis. ☞ *Vide Titul. Legati violati.*

Guagterius lautorii Dominus, cubicularius Clotharii Gallorum Regis, invidorum opera in exilium pulſus. Reverſus à ſacra militia poſt decennium, & literis Vigilii Pontificis commendatus, à Rege in templo interfectus eſt. *Fulgoſ. lib. 9. cap.* 7.

OECONOMICUM. Puta.

Tutores.

Ulpianum I. C. Alexand. Severus pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente, quem ſæpè à militum

militum ira objectu purpuræ ſummè defendit: atque ideò
A ſummus Imp. fuit, quòd ejus conſiliis præcipuè Rempub. rexit. Ita idem Imp. in l. 4. C. locat. præfectum prætorio, & parentem ſuum appellat. *Hotom. in deſcript. juriſconſult. ex Lampridio.*

Balduinus IV. Hieroſolymorum Rex, Balduino nepoti ex Sybilla ſorore tutorem dedit Guidonem de Luſignano vitricum. Qui cùm ſuperbè imperaret, dejectus à tutela, eique ſubſtitutus Tripolitanus Comes Bertrandus. Cæterùm eum mortuo Balduino avo, Guido tutelam vi arripuiſſet, Raimundus Comes, & Tripolitanus ea offenſus injuria ad Saracenos defecit, & Saladini partes contra Chriſtianos plurimum promovit. *Blond. lib. 7. Dec. 2.*

Uladiſlaus Hungariæ Rex filio Ludovico annos vix decem nato, Maximilianum Cæſarem, & fratrem Sigiſmundum Poloniæ Regem tutores conſtituit. Et licèt Hungari proximo poſt mortem Regis conventu eoſdem acceptaſſent, oratoribuſque utriuſque Principis tutelam addixiſſent, ſemper tamen deinceps abnegaverunt. Qua re effectum eſt, ut dum timent Hungari, ne quid auctoritati ſibi Principes in regno vindica-
B rent, regnum ab omni parte hoſtibus prædæ fuerit, & undique factiones regulorum ſubortæ ſint. *Cuſpin.*

RESPECTU MUTUO.

DIGNITAS.

Eadem Repetita. Qui eundem magiſtratum ſæpius geſſere.

Phocion ſemper quidem procuravit pacem, & otium, bella verò geſſit plurima omnium non ſuorum tantùm æqualium, ſed & priorum, non prenſans, neque ambiens eas provincias: ſed neque defugiens tamen, neque declinans, ubi uſus vocavit eum Reipubl. Conſtat enim eum quinque, & quadraginta cepiſſe præturas, cùm comitiis ne ſemel quidem interfuiſſet, ſed abſens ſemper electus, & accerſitus eſſet. Itaque mirabantur inſipientes populum Athenienſem: quòd cùm plurimùm Phocion in eum incurreret, neque unquam quicquam vel dixiſſet vel egiſſet popularitèr (ſicut Reges cenſent uti adulatoribus debere, poſt lotas manus) uteretur populus hic concionatoribus facetioribus, & blandioribus per ludum: ad imperia ſobrius ſemper, & ſedulus ſeveriſſimum vocaret, ac ſapientiſſi-
C mum civem. *Plut. in Phocione.*

Aratus decimum, & ſeptimum Imperatorem geſſit, Pelopidas Thebanus ter, & decies, Philopomenes Megalopolitanus octavum: quem apud Achæos intra annum his gerere non licebat: Sic ut apud Spartanos bis eundem claſſis præfectum fieri lege vetabatur. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *c.* 2.

Nulli ante C. Marium, extra unum Val. Corvinum populus toties conſulatum ſuffragiis ſuis mandavit. Verùm ille dicitur inter primum conſulatum, & poſtremum quinque, & quadraginta annos interpoſuiſſe. Marius verò à primo quinque alios una fortunæ incitatione percurrit, attonito populo Cimbrorum irruptione. *Plut. in Mario.*

M. Val. Corvinus ſella curuli ſemel ac vicies ſedit, quoties nemo alius: annos implevit centum. *Plin. lib. 7. c.* 48.

Auguſtus ſemel, & vicies fuit Imp. dictus apud Rom.

Diverſa. VARIIS *ornati magiſtratibus.*

Ex Cæſaribus C. Jul. Cæſar Auguratum ſimul, & Pontificatum, Galba autem Sacerdotium triplex geſſiſſe dicitur: id
D quod à Regibus Spartanorum uſurpatum fuit. Nam cùm primùm in eam aſſumpti ſunt dignitatem, privilegio honoris præcipui, Jovis Cæleſtis, & Lacedæmonii Sacerdotio funguntur: quibus ex omni ſcrofarum fœtu porcus debebatur, ut ſi diis immolare vellent, nunquam victima deeſſet. *Alexand. ab Alex. lib. 2. cap.* 8.

Hyrcanus, alio nomine Joannes nuncupatus, primus, ſoluſque inter Hebræos fuit, qui princeps, Pontifex, atque Propheta ſimul eſſet, haberetque unus tres gentis ſuæ primarios honores, inter quos, prophetiæ munus, humana fraude minimè paratur. *Fulg. lib. 7. cap.* 16.

Bartholomæus Roverella Ravennas Cardinalis à Pio II. creatus, raro exemplo omnes Eccleſiaſticas dignitates, quæ à Pontifice diſtribui ſolent diverſis, diverſo tempore cum laude adminiſtravit. *Garimbertus lib. 4. de Vitis Pontificum.*

MAGISTRATUS, ET IMPERII ΧΡΗΣΙΣ, RESPECTU PERSONARUM, QUÆ EO FUNGUNTUR, per ſe conſideratarum. E

QUO AD

ANIMUM.

Sapientes.

☞ *Conſule Tit. Principes docti. Loco de Doctrina. Stulti.*

Aridæum quis dicere poſſet magnum, quem nihil à puero diſcedentem, tantùm purpura & faſciis involutum, in ſolio Meleager locavit Alexandri? Neque id abſurdè: ut intra paucos dies videretur, quemadmodum virtute homines, & quemadmodum caſu regnent, pugili imperii hiſtrionem ſuggeſſit. *Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna.*

Boni.

☞ *Vide Tit. Reges boni. Illic Virtutis cui dignitas, hìc Dignitatis, cui virtus conjuncta eſt, habetur ratio.*

Mali. F

☞ *Conſule Tit. Tyrannorum.*

CORPUS QUO AD

ÆTATEM PRINCIPES.

Pueri, Juvenes Reges.

☞ *De iis, qui pueri in Reges electi ſunt, ſub Acquiſitione egimus, De iiſdem, uti regnant, hìc ſub poſſeſſione.*

Theodoſio Magno Orientis, & Occidentis Imp. humanis exempto, ſimul etiam robur, ac dignitas ipſius titubare Imperii cœpit. Neque enim aut in filiis ejus Arcadio, qui orientem, aut in Honorio, qui Occidentem accepit ad impendentem malorum tempeſtatem ſuſtinendam ſatis, aut nervorum, aut animi fuit. His verò cladibus cauſam attulit, primùm imbecilla utriuſque principis ætas, quòd illi novemdecim, hic decem dumtaxat annos natus, parum rebus tantis adminiſtrandis erat idoneus: deinde neſaria Rufini, & Stiliconis improbitas, quorum hunc natione Vandalum, Serenæ fratris ſui filiæ maritum Honorio, illum Arcadio, tutorem Theodoſius dederat: qui, captata puerorum occaſione, certatim animum ad invadendum Imperium per omne genus ſceleris perfidiæ contulerunt. Nam ambo tanta habendi cupiditate flagrarunt, ut jus venale omne habuerint, neque ullum ad conficiendam pecuniam in- G
duſtriæ genus omiſerint, tum ſe tanto inter ſe odio proſequuti ſunt, ut alter alterius evertendi cauſa humana, divinaque omnia permiſcuerit. His acceſſere barbari, qui prioribus annis in fines Romanorum accepti, atque honoribus militaribus, excluſis veteribus Romanis, ornati, eo inſolentiæ venerant, ut jam non ſervire, ſed dominari, neque juſſa Imperatorum expectare, ſed eorum temporibus inhiare viderentur. *Sigon. l. 10. Imp. occid.*

Ludov. undecim annos natus, Uladiſlao patri in regno Hungariæ ſucceſſit. Nonnulli gubernacula regni ſtatim ad Ludovicum deferenda cenſebant, alii gubernatorem requirebant, cujus auctoritate regnũ adminiſtraretur; cùm Ludovicus adoleſceret: atque in hanc partem Jani Trencinenſis familiarium vehemens ſtudium apparebat. Indicto conventu; conſtitutum fuit Regi tribunal, in quod cum conſiliariis conſcendere. Proximus Regi Thomas Archiepiſcop. Strigonienſis aſſedit: cum Rex uti puer rogat; quid hoc nominis eſſet, aut, quæ illius auctoritas, quem Gubernatorem vocant: Tanta; inquit ille; ut in ipſum Regem, & regnum habeat imperium. Qualis ergo, H
ait, Rex ego futurus ſum? picto, inquit, ſimilis, qui nullam exercet juriſdictionem. At ego, ait, ferre talem non poſſum. Dabitur, inquit, opera ut ne nos etiam illum feramus. Vacabat tunc morte Perenii ſummus apud Hungaros magiſtratus: quem regni Palatinum appellant: qui ut cæteris omnibus magiſtratus honore antecellit, ita imperio tamen Regis ſicut alii, ſubjectus eſt. Huic cùm & Rex intenderet, & omnes Proceres eundem cupere viderentur, explofo gubernatore, Stephanus Batori, Palatinus regni declaratus fuit: atque ita majeſtas regia apud Ludovicum incolumis manſit. Regno utroque ob rapinas miſerè afflicto, ad Mahozium tandem à Solymanno Turcarum tyranno victus, à ſuis deſertus, in palude ſuffocatus interiit. *Dubrav. lib. 33.*

SEXUM HUC.

Mulieres, quæ populos rexere.

☞ *Ex Tit. Mulierum bonarum, item bellicoſarum, exempla quædam petenda. Illic Virtutis, hìc Dignitatis, habetur ratio.*

Debora, vates, Lapidothi conjux, viginti annos Iſraelitas A rexit, judicavitque: & ne minus armis, ac bello, quam pace aut religione, in adminiſtranda re Judaica excelluiſſe videretur, per Barac Abinoam F. Nephthalenſem, Chananæorum Ducem Siſaram vicit. *Iud. cap.* 4.

Inter Buaos Lybios vir cæteris viris, mulier autem imperat mulieribus. *Stob. ſerm.* 42. *ex Nicolao de Moribus gentium.*

Helerna, quæ & Crana, & Carna dicitur, filia Jani, apud oſtia Tyberina regnavit, donata à patre albo ſceptro. Poſt mortem à Crano fratre ibidem in luco ſepulta, ſacris inſtitutis. *Ovidius in Faſtis Volat. lib.* 15. *Antrop. & Beroſius.*

Semiramis Memnonis uxor, ob formam, & prudentiam bellicam à Nino Aſſyriorum Rege ductа, mortuo Rege Babylonem urbem condidit, & univerſam Aſiam præter Indos ſubegit. Quidam fabulantur, illam in columbam fuiſſe converſam: compluribus enim avibus domum ingreſſis, & illam cum reliquis avolaſſe. Quo factum, ut Syri columbam ut deam colant, immortalem reginam arbitrati. Vixit annos, quemadmodum Creſias Cnidius ſcripſit, duos & ſexaginta, quadraginta duos regnavit. *Diod. lib.* 2. *c.* 5.

B In Meroe inſula olim regnavit fœmina Candace, quod nomen multis annis ad reginas tranſit. Delubrum Ammonis, & ibi religioſum, & toto tractu ſacella. Cætertim cum potirentur rerum Æthiopes, inſula ea magnæ claritatis fuit: armatorum CCL. M. dare ſolita, artificum CCCC. M. alere. Reges Æthiopum XLV. & hodie tradunt. *Plin. lib.* 6. *c.* 29.

Gens fuit Indorum Pandæ, ſola regnata fœminis. Unam Herculis ſexu ejus genitam ferunt, ob idque gratiorem, regno donatam præcipuo. Ab ea deducentes originem imperitarunt trecentis oppidis, peditum centum quinquaginta millibus, elephantis quingentis. *Cælius lib.* 14. *cap.* 1. *A. L.*

Zarina Sacarum Regina (ad quam à Medis Parti defecere) fertur tum pulchritudine, tum conſilio prudentiaque mirabilis extitiſſe, propinquaſque gentes barbaras ſuperbia elata, ac Sacis imperantes, expugnaſſe, majoremque ejus regionis partem ad mitiorem traduxiſſe vitam. Multas inſuper condidiſſe urbes, quas reddiderit cæteris vicinis gentibus feliciores. Poſt ejus obitum, memores beneficiorum ejus, virtutiſque ſubditi, ſepulchrum ei conſtruxere, omnium, quæ apud ipſos erant, C magnificentiſſimum. Pyramis ea fuit triangularis, cujus latus quodque tribus ſtadiis protendebatur: altitudo ſtadii erat unius, vertice in arctum conſtructo. Addiderunt ſepulchro auream ſtatuam inſtar Coloſſi, honores inſuper heroicos: aliaque ad ſepulchri magnificentiam impenderunt, quæ ſuis majoribus conſueverunt largiri. *Diod. lib.* 2. *cap.* 9.

Lacedæmonis Mulieres adhibere publicis conciliis, illaſque frequenti curia in exequendis negotiis ſocias aſſumere, uſus erat, apud quos fœminarum arbitrio decernuntur multa. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 11.

Xerxes in arcano concilio, cum delectos Perſarum proceres conſuleret, Artemiſiam reginam Cariæ, Mauſoli uxorem, ſæpè ad conſultandum accerſivit, ejuſque ſententiam ſæpè ſecutus, bello tamen contra Græcos fatali quadam imprudentia & obſtinatione aſpernatus, inſignique ob id ipſum clade affectus, ſerò tandem muliebre conſilium ſaluberrimum fuiſſe cognovit. *Herodotus.*

Alexander Polyſperchontis filius, Peloponnenſi Dux à Caſſandro conſtitutus, ab Alexione Sicyonio interfectus eſt. Uxor Grateſipolis, ſuſcepta rerum adminiſtratione retinebat D exercitum, ſupra modum chara militibus. Succurrebat enim aſſiduè miſeris, & inopum multos ſuſcipiebat. Erat & prudentia prædita in rebus gerendis, & audacia majore, quàm pro fœmina. Cùm Sicyonii eam propter viri obitum contempſiſſent, ipſa prælio multos interfecit, captoſque circiter triginta crucifixit, ac ſtabilitis urbis rebus imperavit Sicyoniis. *Diod. lib.* 19.

Celtæ, & Galli non ſolùm Mulieres conciliis admittunt, ſed quicquid eſt contentionis, fœminarum judicio decernunt: ita ut inteſtina ſæpè odia illarum interventu ſedata ferantur. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 11.

Pheretima regno Cyrenæorum pulſa, ad Evelthonem Regem Cypriæ Salaminis profecta, precabatur, ut ſe, filiumque Arceſilaum ex Batto Cyrenen cum exercitu reduceret. Ille omnia potiùs, quàm exercitum huic dabat. Pheretima id, quod dabatur, accipiens, dicebat bonum id quidem eſſe: ſed meliùs factum eum, ſi daret exercitum. Cùmque identidem ad omnia, quę dabantur, hoc diceret, tandem miſit ad eam, Evelthon dono fuſum aureum, atque colum penſo circundatam, his verbis: Talibus, ò Pheretima, rebus donantur fœminæ, non exercitu. Tandem Sami Græcis perſuaſit, ut eorum auxilio in E regnum reduceretur. Deinde cùm Arceſilaus interfectus eſſet in urbe Barca, ipſa Cyrene (ubi loco filii jus dicebat) in Ægyptum profugit, & Aryandem Ægypti prætorem à Cambyſe conſtitutum ad ſe reducendam incitavit. *Herod. lib.* 4.

Alexandra ab Alexandro Judæorum Rege marito adminiſtrandæ Reip. ex teſtamento præpoſita (quamvis duos haberet filios, Ariſtobulum, & Hircanum) mulier honeſtatis, & juſtitiæ ſtudioſa, novem annis principatum in pace adminiſtravit, cùm 70. ætate ſuperaſſet, in eo ſolo peccans, quòd Phariſæis nimium crediderit, eorumque ſuaſu de optimatibus, qui Alexandro auctores fuerant, uti in populum ſæviret, pœnas ſumpſit, & ſic Rempub. veluti præſidibus orbavit. *Joſeph. lib.* 13. *cap. ult.*

Tibarenos, & Chaldæos, uſque in Colchidem, & Pharnaciam, & Trapezuntem Pythodoris rexit, pudica mulier, & imperandi perita. Ea Pythodori Tralliani filia fuit, & uxor Polemonis, quæ aliquandiu cum illo regnavit. Deinde in imperio ſucceſſit, illo apud Apurgianos mortuo ex Polemone filii duo relicti, & filia, quæ Cotyi Sapæo data eſt. Quo dolo interempto, cælibatum egit, ex eo filios habens, quorum F natu major imperavit. Ex filiis Pythodoridis, alter ut privatus cum matre adminiſtravit imperium, alter majoris Armeniæ Rex declaratus. Ipſa Archelao nupta, cum eo manſit uſque ad extremum. *Strabo lib.* 12.

Teucas Illyriorum regina, à Romanis de injuria ſuis mercatoribus ab Illyriis illata per legatos certior facta, ſed intempeſtivo legati Junioris reſponſo ad iram laceſſita, quoſdam miſit, qui contra jus gentium legatos à ſe demiſſos adorti Juniorem obtruncarent. Qua cæde Romam perlata, claſſis contra eam mittitur. Teucas multiplici clade fracta, tributaria Romanis facta eſt. *Sab. lib.* 9. *En.* 4. *& Bonſin. lib.* 6. *Decad.* 1. qui Teutanam vocat.

Livia, Tiberii mater, Auguſti uxor, ſuperbia omnes priores fœminas longo intervallo poſt ſe reliquit, quæ Senatum, ac de populo, qui vellent domum ad ſe ſalutandam venire, admittebat, idque ipſum in publicos commentarios referri curabat. Quinetiam Epiſtolis ad Tiberii nomen matris aliquamdiù adſcriptum fuit, literæque ad Tiberium datæ, Liviæ etiam in- G ſcribebantur, ac niſi quod in concilium, ad exercitum, inque conciones venire non fuit auſa, cætera omnia, quaſi ipſa imperium teneret, agere audebat. Etenim Auguſto incolumi plurimum potuerat, ipſaque ſe Tiberio Imperium dediſſe ferebat: ideóque non æquata modò poteſtate cum eo regere, ſed priores ipſo gerere volebat. Hinc multa extra conſuetudinem populi Rom. introducta, inventique haud pauci, qui matrem eam patriæ, ac genitricem appellandam cenſerent: alii Tiberio ab ipſa nomen habendum, nimirum à matre vocatum, ut Græci à Patre. Quæ indignè ferens Tiberius, & decretos illi, exceptis minimis, honores improbavit, neque inſolens quicquam agere permiſit. Statuam quandam Auguſto Livia dedicare, ac propterea Patricios, & equites cum eorum uxoribus convivio accipere ſtatuerat. Tiberius neque deditionem ei niſi Senatuſconſulto conceſſam permiſit: & viris ipſe epulum, illa tantum mulieribus eo jubente præbuit. Poſtremò ab omnibus actionibus publicis ei remotæ, rei familiaris curationem mandavit. Quia ipſa cùm moleſta ipſi eſſet, peregrinationes inſtituit, omnique modo ſe illi ſubtraxit: neque minima Capreas ſecendi cauſa mater ipſi fuit. *Dion. lib.* 57. H

Claudii, & Neronis tempore, cùm non pro dignitate videretur, Agrippinam Patrum conſultationibus intereſſe, decrevere Patres, ut à tergo abditis foribus ſtaret, velo diſcreta, quod viſum arceret, auditum admitteret. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 11.

Meſa varia, urbe Emeſa, quæ in Phœnicia eſt, orta, Juliæ ſoror fuit, olim Septimii Severi Imperatoris conjugis. Hæc mortuo Baſſiano, à Macrino, qui ei ſucceſſerat in imperio, in Phœniciam remiſſa, aſtu, mentiendoque conſecuta eſt, ut nepotem ex filia, Heliogabalum nomine, cùm nondum quartum decimum excederet annum, in imperio conſtitueret. Ipſa ſub eo Romanum imperiũ, quamdiù vixit, adminiſtravit: quod etiam egit Alexandro imperante, quem, ut Heliogabalum, cui æquè avia erat, arte ſua ad principatum evexerat. Hac gloria inſignis facta, quæ aut nulli, aut rariſſimis contigit, ut fœmina in Senatu ſederet, ac verba faceret, nomen ſuum inſcriberet, cætera Imperatoris munia obiret: item mortua, Imperatoria pompa ſepeliretur, atqs in divarum Romanarũ numerum reciperetur, omnium judicio felix, atque prudens habita. *Fulg. lib.* 8. *c.* 16.

Semia-

Semiamira, Heliogabali mater, omnium prima loco viri Se- A natum narratur ingreſſa. Quin & in colle Quirinali Senatulus eſt conſtitutus, id eſt, mulierum Senatus. Cautum tamen mox, ne unquam mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur, devoveretur que, per quem eſſet factum. *Cæl. l.* 13. *c.* 33. *A. L.*

Victoria Auguſta, mater Victorini, Mater Caſtrorum dicta (ut Fauſtina olim Antonini Pii Imp. uxor) inter XXX. tyrannos ponitur, ſub Galieno in Gallia. *Volater. l.* 20. *Anthrop. & Cuſpin.*

Zenobia Palmyrenſium regina, mortuo Odenato marito, cùm Orientis regnum tueretur, armata in virili veſte exercitui præfuiſſe, & Imperatoris nomen tuliſſe dicitur, cujus auſpiciis pleraque egregiè geſta in hoſtes fuere. *Alex. ab Alex. l.* 1. *cap.* 2.

Conſtantinus Ducas Imp. moriens, relictis tribus filiis impuberibus, Eudociam uxorem ſuam Auguſtam illis, & imperio præfecit, quòd moderata, & prudens, tum ad filiorum educationem idonea videretur, & ad gerenda negotia nata. Juramentum tamen ab ea inſcriptum exigebat, ad ſecundas nuptias non tranſituram, quod patriarcha ſua ſubſcriptione B roboravit. Accepit ergo Imperatrix communem liberorum providentiam, ac educationem, unàque cum illis in regio throno collocata fuit, utrinque accubantibus filiis, regina in medio reſidente. Sic in conſiliis, ſic in publicorum judiciorum cognitionibus, ſic in domeſticis ſeſſionibus, ſic in conſuetis progreſſionibus ſedebat, & incedebat. Verùm quia Barbari Orientem infeſtabant multis clamantibus, Imperatore opus eſſe ad hæc conficienda negotia, quæ fœmineo eſſent longè imparia ingenio: mulier ſagax, ne unà cum pueris regno excideret, Republ. ob Imperatorem periclitante, Romanum Diogenem, Ducem fortiſſimum, ob affectatam tyrannidem carceri incluſum, & condemnationem expectantem, abſolvit, & in patriam Cappadociam ablegavit. Mox revocatum, magiſtrum, & prætorem conſtituit. Imperatorem potius appellandum cenſens, ut virum ſe digniſſimum. Sed obſtabat juramentum, & inſcriptio, quæ penes Patriarcham aſſervabatur. Quam ut extorqueret, Eunucho interruncio, ſimulat apud Patriarcham ſe amore Bardæ nepotis illius teneri; verùm obſtare chirographum. Eam ſi reddat, & à juramento abſolvat, ſtatim ſe nepoti ejus traditurum imperii poteſtatem. Patriarcha, deceptus mulie- C bribus dolis, omnia pollicitus eſt. Eunuchus ad hæc Senatum quoque compellans neceſſitatem, ac negotia poſtulare, inquit, Imperatorem ex eorum numero deligere, ne diutiùs à fœmina, ac puerulis Republica gubernata, brevi Romanum Imperium peſſum erat: ſeverè reprehendens mortuum Imperatorem, quòd non publico conſuluiſſet commodo, ſed ob zelotypiam illicita exegiſſet juramenta, ac illegitima apographa. Ergo cùm plures inveniſſet aſſentientes, contradicentes partim muneribus, partim promiſſis induxit, uti tale aliquid decernerent. Accepto igitur chirographo, Regina Diogenem ſibi maritum conjunxit, præter omnium opinionem, eumque Imperatorem ſalutavit. *Cuſp.*

Mortuo Leone IV. Imp. Irene Athenienſis Auguſta imperium ſuſcepit adminiſtrandum pro Conſtantino puero, decimum tum ætatis annum agente: fœmina ſingularis prudentiæ, ſummæ tamen in regnando libidinis. Quamdiù Conſtantinus matris imperio obtemperavit, ritè omnia domi, ſoriſque ſe habuere: nullæ populorum querelæ, nulli bellorum motus, pace, & otio omnia florebant. Continebat ſapientiſſima mulier filium in officio: identidemque monſtrabat, bonis artibus imperia augeri, ſuperbia, & avaritia labefactari. Verùm ubi Conſtantinus matrem ab imperio removit, illius factione oppreſ- D fus, & excæcatus, in vinculis expiravit. *Idem.*

Theodora, mortuo Theophilo Imp. imperium cum Michaele F. impubere adminiſtravit per ann. XIV. & imaginum cultum reduxit. A Barda fratre, qui juvenis Regis familiaritate utebatur, palatio pulſa, theſauros regios Senatoribus commiſit, quaſi magiſtratus præclarè geſti rationem redderet, & cœnobium ingreſſa eſt. *Idem.*

Zoe, Leon. V. vidua à Conſtantino Porphyrogenito F. adminiſtrationi imperii adhibita eſt, quæ priùs ab Alexandro patruo, & tutore Conſtantini privata vivere coacta fuerat. Tandem verò cùm Rom. Lacapeno filii ſocero, quem tyrannidem affectare ſuſpicabatur, inſidias ſtruxiſſet, ejecta è curia, & abſciſſis capillis, in monaſterium S. Euphemiæ detruſa eſt. *Cuſp.*

Zoe Conſtantini VII. F. Romani Argyri Imp. uxor, libidinoſa, & imperioſa, cum Michaele Paphlagone ſtupri habens commercium, ſuffocato Romano ei nupſit, ne deeſſet Imperandi occaſio. Eo monaſterium ingreſſo, cum Michaele Calapha- E te, quem adoptaverat, imperium adminiſtravit. Verùm non multò poſt ab ingratiſſimo homine pulſa, & in monaſterium detruſa, à populo imperio reſtituta eſtoſſis Michaeli oculis; ſimul etiam Theodora Zoes ſoror Auguſta ſalutata, ut ambæ ſorores ſimul imperarint. Intereà Zoe Conſtantino Monomacho nupſit, & jam ſeptuagenaria obiit. Conſtantino autem de ſucceſſore, ut deliberaret, extra urbem profecto, Theodora regiam ingreditur, regio ad ſe accerſito ſatellitio. Ad eam Senatus quoque confluxit, eamque Imperatricem declaravit: utpote ad quam hæreditario jure principatus pertineret. Hoc ubi Monomacho ſignificatum eſt, maximo affectus dolore, quàm diù vixit (quod admodum exiguum erat) ſuſpiriis, ac mœrore contabuit. Ipſa civilium rerum juriſdictione Syngello Leoni, qui Paraſpondylus vocabatur, tradita, per ſeniores jus dicebat, ſtudebatque gratiæ multitudinis, ſedulam legum habens curam, decreta & ſententias ferebat. Veſcebatur autem publica, & communi ratione, felixque erat ſub ea Reſpub. Nec enim in eam quiſquam conjurationem molitus eſt, nec præſtabantur à ſubjectis negligenter, quæ juſſi erant, nec ulla ſub Romanis natio tumultuata eſt: ſed erat F undique temporis tranquillitas, ac omnium rerum ubertas, domi foriſque otium, ac quies, terra ipſa fructus abundè ſubminiſtrante, adeò ut neminem ſeminei pœniteret imperii. Morbo autem correpta iliaco, ſucceſſorem declaravit Michaelem Seniorem, cùm anno uno, & menſibus novem imperaſſet. *Idem.*

Amalaſunta, Theodorici Regis Italiæ filia, & mater Almarici Hiſpanorum Regis, defuncto jam filio in imperio ſucceſſit, Tendiumque ſobrinum ſuum in ſpem ſucceſſionis adoptavit. *Ritius l.* 1. *Reg. Hiſp.*

Theodelinda, mortuo Agilulfo marito Longobardorum Rege, Aldovaldo F. adhuc impubere, regni curas magno animo ſuſcepit, & adminiſtravit per decennium. *Bern. Saccus l.* 9. *Ticinenſis hiſt. Platina.* Aldoaldi uxorem facit.

Mortuo Craco principe, & filiis ejus duobus, Poloni Vendæ Craci filiæ ob patris memoriam regnum detulerunt, viragini formoſiſſ. Hæc Ritigeri Marcomannorum Ducis nuptias reſpuit, Principem ſe malle eſſe inquiens, quàm principis uxorem. Ritigerus exercitu infeſto Poloniam invaſit. Verùm deſertus à ſuis, ignominiæ metu manus ſibi ipſi intulit. Venda hoc ſucceſſu læta, ovans Cracoviam invehitur: mactatiſ- G que quamplurimis victimis, ad extremum ipſa Diis patriis ſolemni ritu ſeſe devovit, ac de ponte in profluentem Viſtulæ, ne quis adversus caſus felicitatem ejus contaminaret, projecit. Proceres inventum cadaver ejus, uno ab urbe milliario, editiore loco è conſpectu urbis ſupra amnem Dlubniam ſepeliverint, aggeſto itidem ut patri tumulo. Indeque ſubjacens pagus Mogilæ, hoc eſt, tumuli nomen adeptus, adhuc retinet. *Crom. l.* 2.

Libuſſa Croci Ducis Boemorum II. F. velut una ex Sibyllis habita poſt obitum patris provinciam gubernavit: & priuſquam Praga ædificaretur, arcem Vicegradenſem communicavit. Contendebant coram ea duo ex optimatibus de poſſeſſione agrorum. Sententia ex bono, & æquo dicta, potentior damnatur. Is populares appellans, indecorum eſſe, indignumque ait, tantum populum, unius fœminæ ſubeſſe arbitrio. Ad cujus vocem excitata multitudo, muliebre regimen accuſare, vicinarum gentium mores in medium adducere, virum, qui ſibi dominetur, expetere. Libuſſa, re cognita, Primislao ruſtico ſupra menſam ferream prandenti nupſit. *Æneas Sylv. in hiſt. Boemica.*

Agnes, Henrici III Imp. mater, unà cum filio imperium rexit: cujus facta nefandiſſima cùm filius minimè probaret, à re- H rum adminiſtratione amota eſt. *Volat. l.* 13. *Anthrop.*

Gintolinus, Britannorum Rex, genuit ex Maria uxore unicum filium Sicilium: qui cùm mortuo patre nondum imperio maturus eſſet, Martia multarum rerum perita, regni interim curam ſuſcepit. Hæc id, quod è Republica eſſet, in primis ſibi faciendum rata, leges tulit, quas Marianas poſteri appellarunt. *Polyd. l.* 1.

Margarita, Renati Andugavenſis Ducis F. Henrici VI. Anglorum Regis uxor, prudentia & animi robore inſignis, marito quietis ſtudioſo exiſtente, ipſa regni habenas non pactum, ſed & bello moderata eſt. Captum à conjuratis Henricum armis liberavit, & ſuis feliciùs quàm mariti auſpiciis belligeravit. Tandem ab Edovardo regni occupatore ejecta, in Galliam confugit. Inde ter in Angliam cum exercitu redire feſtinãs, adverſis rejecta ventis, animi magnitudini comitem fortu-

nam